Ungern hört man auch einige angewöhnte und unlateinische Wörter z.B. physicorum, Physik, causa, Dogma, dit[illegible]libus, mollitur.

CAROLI STRACK

MED. DOCT. ET IN UNIVERSIT. MOGUNT. PRAXEOS MED. PROF. PUBL. ET ORD., EMINENT. AC CELS. PRINC. ELECT. MOG. CONSIL. AUL. ET REGIM. ELECT. UTIL. SCIENT. ACADEM. ERFORD. REGIAE SOCIET. MEDIC. PARIS. ET PRINC. HASSIACAE SOCIET. ACADEM. GIESEN. SOCII

NOVA THEORIA PLEURITIDIS VERAE

ET

RECTA EIDEM MEDENDI RATIO

EXPERIMENTIS DEMONSTRATA.



TICINI, ex Typographia Reg. et Imp. Monasterii S. Salvatoris,
Praesidib. rei litter. permittentibus.

MDCCLXXXVIII.

Ille assideat necesse est, qui, quod solum opus est, visurus est.

A. C. Celsus de Medicina
Lib. III. Cap. 4.



REGIAE

SOCIETATI MEDICAE

PARISIENSI

CAROLUS STRACK

FELICITATEM.

Duo sunt, Viri illuſtriſſimi, propter quae novam iſtam Pleuritidis verae theoriam nomini veſtro ſubſcribam: alterum, ut meae in Vos exiſtimationis atque grati animi ratio palam apud omnes conſtet, qui me proxime ab utilis Inſtituti regii ortu laudabili veſtro Sociorum albo inſcripſiſtis * ; *utpote quae praerogativa mihi et pergrata ſimul et perhonorifica eſt: alterum, quo magis et iſta quoque mea opera, utique sub veſtris*

* Anno 1776. mense Novembri.

auspiciis tuta, careat obtrectationis invidia; cujus vix exsortia nova quaeque inventa sunt, maximeque si ea longe a vulgarium dictatorum sententia secedant, atque procul a tritis Scholarum pulpitis distent.

Ita ego, omnis curae expers, propositum, quod fidenter exorsus sum, liberali animo persequar. Valete.

PRAE-

PRAEFATIO.

Novam verae Pleuritidis theoriam atque rectam eidem medendi rationem docturus non dubito fore plerosque medicos, qui istud scripturae genus ut vanum et supervacuum repudiabunt; cum sibi persuadeant, vix posse aliquid aut perfectius aut eruditius de Pleuritide sive dici sive scribi, quam quod ab antiquissimis olim medicis per plurimos imposterum doctos viros ad nostra usque tempora continuo relatum accepimus. At si nunc dicam, quod iste quidem vulgaris morbus etiam ab artis ortu retro per tot annorum secula ad postremos hucusque medicinae professores neque omnino cognitus neque recte curatus fuerit, utique audax multis, imo temerarius nonnullis videbor.

Equidem non ignoro, quam difficulter homines eam sententiam exuant, quam intra tyrocinium acceperunt, et deinde per longam aetatem fidenter retinuerunt: maximeque si eadem aliorum excellentium Virorum opinioni consentire ipsis videatur. Nihilominus spero, fore ut ego et istos quoque imitatores a trito tali tramite flectam, eosdemque ad Verum deducam, brevi et efficaci per exempla via.

Et ante omnia nosse refert, morborum multos alienam omninoque a suo genio diversam formam recipere, prout iidem alia atque diversa curandi ratione agitantur; quam larvam utique non admisissent, nisi vi adversae medicinae ad talem excessum pulsi fuissent. Quod si deinde per talem violentiam coacta natura trans novam etsi inconvenientem aliquam viam ipsa victrix erumpat, protinus hunc exitum tanquam criticum et quasi ipsi morbo pro-

pri-

prium praecipites medici (quorum opinione plus est) intuentur, eundemque imposterum tanquam certum et exploratum medicina perficiendum esse contendunt. Contra alii privatam suam quoque medendi rationem tanquam certam et usu probatam sustinent : et sic porro aliter alii statuunt. Similiter opinione falluntur hi, qui movendo sputa Pleuritidi medendum esse putant. Sputa enim ipsa non Pleuritidis, sed alterius cujuspiam morbi, qui a Pleuritide remansit, crisis sunt.

Non secus idem ego olim juvenis medicus in his artis magistros secutus sum, et, quae ex probatorum virorum libris collegi, imitatus pleuriticos, quos acceperam, simili, qua illi, curatione habebam; quae modo mihi ut illis successit, modo iterum me quemadmodum ipsos perinde defecit. Quare, non tenax opinionum, jure dubitavi, verane an falsa ista theoria sit, quam nihilominus scholae

ut certam retinuerunt. Dubitationem perfecit occasio, quae anno 1751., quo Pleuritis popularis erat, ostendit se, mihique ad pervestigandum et tempus concessit, et multos tales aegros obtulit. Ita veram Pleuritidis causam simul et rectam eidem medendi rationem perdidici. Proximo deinde anno 1752. reversus idem morbus est, multosque item homines prehendit. Interea ego peropportuna ista occasione iterum usus sum, cum ut ea ita perficiam, quae ante didiceram, tum ut haec confirmem, quae in istius morbi curationibus hucusque expertus eram. Tali cautione atque in observando attentione didici, morbus quo die finem accipere, qualem is exitum sumere, aut quam aliam corporis partem prehendere consuescat? Quae Pleuritidi propria crisis, quae ab eadem aliena sit? Quis malus morbi exitus metuendus sit, isque quomodo caveri queat? Haec cum satis cogni-

ta

ta atque perspecta mihi fuissent, naturam in his medendo imitatus sum. Quae curatio imposterum per longos hucusque annos successit.

Itaque, qui ante sani homines in Pleuritidem veram inciderunt, hi omnes sine noxa septimo utplurimum die, nonnunquam etiam nono ad summum undecimo, perfecte sani ex ea revenerunt. Imo hos, quos post sanguinis sputum phthysis male habebat, et qui per multos annos pus sputo ejecerunt, siquidem Pleuritide tentati sunt, nihilominus similiter restitui: adeo ut neque post Pleuritidem pejor phthysis evenerit quam ipsa ante fuerat; sed ut haec talis, qualis hucusque fuerat, imposterum manserit. Unicus tantum marasmi status est, intra quem Pleuritis curationem non admittit, isque perraro obtinet. Etsi autem Pleuritis sub nostro quidem coelo satis frequens et nonnunquam popularis sit, tamen inter omnes,

qui ab anno 1751. hucusque obvenerunt, aegros nonnisi quinque perierunt, de quibus non inutilem mentionem suo loco facturus sum.

Neque ego sputi faticinia, quae latam scriptorum paginam implent, sive adversa metuo sive secunda expecto; nimirum quoniam istum morbum absque sputi ejectione certe submoveo.

Ad haec, ut ea demonstrem, utar his, quae experientia in ipsis istius morbi curationibus saepe saepius docuit me, exempla, quae lectoris animum trahere ad Verum possint, propositurum.

Non autem unius tempestatis aut eiusdem constitutionis ista exempla sunt, sed multorum successive annorum, intra quos Pleuritis cum epidemica tum sparradica fuerat. Etiam diversae aetatis aegros in medium proferam, qui Pleuritide affecti fuere. Item aegros notavi, quos, cum morbus

bus insedit, sero accepi. Denique diuturnos aliquos morbos, cum quibus Pleuritis complicata erat, adducam. Atque ex iſtis iterum exemplis tot et talia excerpſi, quot et qualia ad demonſtrationem Veri sufficere mihi videbantur. Caetera, ne absque utilitate longus ſim, rescindo.

Poſtremo dies indicabo, intra quos Pleuritis judicari consuescit; imparibus nempe perfecte, paribus contra imperfecte. Quae demonſtratio, quoniam ea Hyppocratis aſſerto consentanea eſt, utique arduam illam de imparibus atque de paribus diebus criticis disputationem vacuabit. Iſta ideo ita propono, cum ut veritas magis elucescat, tum quoniam exiſtimo, quod haec noſſe hominum salutis interſit.



NOVA THEORIA
PLEURITIDIS VERAE
ET RECTA EIDEM MEDENDI RATIO.

CAPUT I.

Vanum est, quod Authores de causa Pleuritidis dicunt.

Vulgaris et satis trita Authorum sententia est, Pleuritidem veram oriri, posteaquam calore aestuans corpus adversus ventus afflavit: *a*) Ita fieri in latere inflammationem; quam dolor, febris, tussis etc. sequuntur.

Verum sic non satis explicant, quomodo hi, qui neque corpus motu calefecerunt, neque ipsi per fervidam tempestatem incaluerunt, neque frigore perculsi sunt, nihilominus in sua camera, in ipso suo lecto Pleuritide vera correpti fuerint?

A Puer-

a] » Eorum initium vel ex frigore vel ex ictu, vel ex nimio » cursu, vel ex morbo est. » A. C. Celsus Lib. IV. Cap. 6. de laterum doloribus.

Aegrotus I. Puerpera bene sana, quarto decimo post partum die, recte fluentibus cum lochiis, in suo lecto Pleuritide vera, quae ea tempestate popularis erat, affecta est. Monialis virgo 53. annorum catarrho laborabat; et mediam intra sputi cocti expectorationem, in suo lecto, in calefacta sua camera Pleuritide, quae epidemica erat, correpta est; et tunc ipse sanguis crustam densam albam habuit. Mulier posteaquam haemorrhagia uteri, quam quatuordecim menses traxerat, et hydrope liberata fuit, Pleuritide, quae ea tempestate popularis erat, in ipsa sua camera prehensa est. Strenuus vini potator vehementer hydropicus factus est. Is cum dimidiam hydropis partem lotio emisisset, et ne minimum quidem in diaetae praecepta peccasset, nihilominus suo in lecto Pleuritide, quae tunc temporis epidemica erat, tentatus est. Huius sanguis perdensa crusta obductus erat. Virgo 63. annorum ob inveteratam arthritidem membrorum motu orba quinque annos lecto affixa erat; haec nihilominus medio in suo lecto, in ipsa calefacta sua camera, cuius porta fenestraeque scrupulosius conclusae manebant, Pleuritide vera affecta est.

Aegrotus II.

Aegrotus III.

Aegrotus IV.

Aegrotus V.

Neque poterunt isti Authores Pleuritidis epidemicae rationem reddere; minimeque cur eadem Vere potissimum atque Autumno grassari consuescat? Scilicet qua tempestate febres intermittentes populares sunt. Neque sciunt, cur acidum eructantes pleuritici non fiant *a*).

Ne-

a) » Acidum ructum habentes non ita valde pleuritici fiunt. » Hipp. Aph. 33. Sect. VI.

Nesciunt item cur hi, qui Pleuritide vera laborare consuescunt, vix unquam febre intermittente corripiantur? Auriga per longum annorum intervallum ter Pleuritide vera laborabat, nunquam vero febre intermittente; etsi ea interea saepe popularis fuisset. Monialis virgo, de qua paulo ante *a*) dixi, intra triginta hucusque annos vera Pleuritide ter affecta fuit, nunquam vero febre intermittente; etsi ista febris magis in suo quam in alio quopiam monasterio familiaris esse consuescat. Et sic porro alii. Neque sciunt, quomodo febris intermittens in Pleuritidem veram transeat, et quomodo Pleuritidem febris intermittens sequatur? Neque recte respondere poterunt, ob quam causam dolor, si is ex affecto latere in humerum ascendit, bono augurio sit? AEGROTUS VI.

Alii non a sanguinis inflammatione, sed ab ipsius seri sive partis mucosae incendio Pleuritidem esse volunt; et ad eam dirigi curationem debere sustinent. Hos secuti fere omnes hodie Medici sunt. Verum etiam hi (praeterquam quod ad ea, quae supra posui, item respondere non possunt, eademque ipsis etiam incomprehensibilia atque explicatu impossibilia manent), similiter ac illi a recto aberrant, qui Pleuritidem ob inflammatum cruorem esse contendunt.

Et primo quidem crusta illa sanguinis lardacea non Pleuritidi propria, sed omnibus inflammatoriis morbis in universum communis est; veluti febri ardenti, phlegmoni, anginae, variolis quae insederunt etc. imo ipsi etiam febri intermittenti, ubi ea inveteravit.

a) Aegrotus II.

Deinde rationem reddere nequeunt propter quam ista crusta tormentum in latere efficiat; cum tamen ea nullum fixum dolorem in quacunque alia corporis parte intra qualemcunque alium inflammatorium morbum excitet, imo excitare ne in latere quidem ipso possit?

Postremo, neutiquam verum est, quod docent. Pleuritis enim non ob inflammatum Serum est; sed contra, Serum ipsum ob Pleuritidem, quae est, inflammatur, crustamque accipit: imo eadem ipsa crusta indies eo magis magisque densa tenaxque fit, quo diutius Pleuritis insidet. Id per haec maxime patet: et quoniam sanguis, qui protinus e pleuriticorum vena mittitur, crustae nihil habere consuescit; et alter, qui postero die demitur, crustae aliquantum habet: et qui tertio die extrahitur crustae plus, et sic porro plurimum eiusdem, si nullus adhibitum remedium effectus sequatur; aut si natura ipsa non ocius iuvet. Hic aliqua, ne iusto longior sim, prae plurimis caeteris exempla ponam.

AEGROTUS VII.

Anno 1779. mense Majo Cultrorum faber Pleuritide affectus est; eiusdemque sanguis, qui per primam venae sectionem ipso quinto morbi die (siquidem hucusque aeger absque remedio erat) extractus est, crustae expers omninoque sanguini sani hominis similis erat. Post alteram vero venae sectionem sexto die sanguis crustam habuit.

AEGROTUS VIII.

Juvenis faber ferrarius mense Majo anni 1779., qua tempestate Pleuritis popularis erat, eodem morbo prehensus est. Huius sanguis, qui primo die e vena extractus est, absque crusta et sanorum sanguini simillimus erat: al-

altero die mane discum unum misit, qui crustae quidquam habebat; vesperi item discum unum, qui crustae plus habebat; et sic porro quotidie: sanguinis enim discus, quem sexto die misit, perdensam lardaceam crustam habuit: ille denique sanguis, qui medio septimo die extractus est, densissimam, crassissimam durissimamque crustam, corii instar, habuit.

Ex quibus item patet, crustam ob Pleuritidem esse; non vero Pleuritidem ob crustam: Serum a morbo in crustam cogi, non autem ob crustam morbum esse.

Est quoque ipsas inter crustas quaedam ratio atque diversitas. Etenim, qui sani plus Seri idemque spissius habent, hi, si Pleuritide corripiuntur, crustam et ocius et eandem tenaciorem accipiunt; quam qui tenuius Serum habent: item, quo intensior febris aestus est, eo et crustae plus est; eademque tenacior. Deinde quo diutius Pleuritis insidet, eo crassior duriorque crusta per morbum fit. Crustarum pessima subflava est; quae granula, veluti vetus mel, habet.

Atque talia ante nosse refert: cum quoniam ea ad morbum pertinent; tum quoniam ipsa ad curandi rationem conferunt. Minutiae autem illae Sydenhamii quaestiones atque pervestigationes, ob quam causam primus sanguinis discus crustam habuerit, alter non, tertius item crustam? qualis sanguis evenerit, qui horizontaliter exsiliit; qualis qui perpendiculariter defluxit etc., vanae, supervacuae, atque nullius frugi sunt: adeo, ut non parum mirer, quod etiam celebres medicinae professores imposterum istis minutiis cruriosius adhaeserint;

á quibus tamen nullum hucusque sive aeger sive medicus profectum habuit.

CAPUT II.

De exitu, quem Pleuritis in sanitatem per se sumit.

Nihil magis ad perfectam morborum cognitionem atque ad curandi rationem confert, quam crisium observatio; non tantum earum, quae intra morbum ipsum fiunt; sed et harum, quae per convalescentiam contingunt. Verum postremas istas crises soli medici philosophi prosequuntur, mercenarii non attingunt.

Ne vero in ista naturae contemplatione fallamur, tutum erit, ut morbum ipsum vel naturae relinquamus, vel talia auxilia adhibeamus, qualia neque vehementer moveant, neque morbi figuram geniumque alterare possint: nempe, ut ita cognoscamus, quae artis auxilio, quae naturae beneficio contigerint, neve naturae tribuamus, quod medicinae debemus. His praemissis ad Pleuritidis Crises progredior.

Itaque, quod ante omnia nosse interest, duplex Pleuritidis, ut multarum aliarum febrium continentium, crisis est: altera febris; altera Materiae, quam febris confecit atque reliquit. Illa prior est, et citius contingit; haec posterior, et saepe intra convalescentiam expletur. Id est: Febris suam sibique propriam statutisque suis diebus crisin habet: crusta privatam suam imposterum: haecque item varia

tia est tam quoad tempus, intra quod ea contingit, quam quoad corporis partem, per quam eadem erumpit. Res per Exempla patebit.

Nempe medicis practicis notum atque expertum est; quod Pleuritis saepe tertio die, nonnunquam etiam septimo, sine sputi excreatione finem accipiat; vel quinto nempe posteaquam a medio vel tertio vel quinto vel septimo die ad eius finem usque plurimus sudor calidus viscidusque, qui acidum odorem habet, erupit. Cum isto sudore urina rubra crassa emittitur; quae, cum frigefit, sedimentum lateri trito simile praecipitat: perinde ac in multis aliis febribus, quae absque lateris dolore sunt, contingere consuescit. AEGROTUS IX.

Anno 1766. die 26. Decembris juvenis torosus Pleuritide vera correptus est. Huius venam protinus, deinde iterum, post rursum incidi iussi. Extractus initio sanguis crustam crassam albam habuit, alter crustae minus, tertius minimum. Affecto lateri fomenta imposui: Medicinae iulapium cum nitro et oxymelle dedi; potui vero molles herbas ex aqua coctas; cibo autem sorbitiones.

Tertio die sudor multus acidus ex universa corporis cute erupit; urina sedimentum crassum lateri trito simile deposuit; aegerque omnis doloris expers sine sputo convaluit, et lectum quarto die deseruit. AEGROTUS X.

Anno 1767. die 19. Februarii servum Pleuritis prehendit. Huius venam protinus secari iussi; missusque sanguis crustam habuit. Julapium refrigerans decoctumque praecepi adiecto nitro et oxymelle: victum item tenuem.

Altero die, propterea quod dolor pressit, secta iterum vena est; extractusque ex ea sanguis crustam non omnino sed ex parte habuit.

Finito tertio die morbus resolutus est, aegerque absque sputo proxime convaluit.

AEGROTUS XI. Anno 1778. die 7. Septembris adolescentem fortem 15. annorum Pleuritis prehendit. Hunc cum altero die accepissem, protinus ex eius vena duos sanguinis discos misi, qui aliquantum crustae habebat. Vesperi enema imperavi. Cibo dedi cremorem hordei adiecto citrei succo: Potui vero radices graminis, acetosae, scorzonerae, liquiritiae, cum floribus papaveris erratici et nitro ex aqua coctas, adiecto aceto vini destillato et rubi idaei Syrupo. Julapium item ex aquae fragorum unciis sex, nitri drachma, aceti destillati semuncia, Syrupi rubi idaei uncia.

Medio in tertio die sanguinis unum discum extraxi. Tussis parum crudi emolita est.

A fine tertii diei per quartum quintumque urina turbida erat cum sedimento lateri trito simili. Quinto die multus sudor acidus ex universa corporis cute erupit cum levamine, similisque per sextum in septimum continuavit. Verum a medio die septimo ad eius exitum usque quamplurimus talis sudor erupit; aegrumque absque sputo omnino restituit, qui octavo die lectum dimisit.

AEGROTUS XII. Anno 1774. ad exitum mensis Octobris, qua tempestate febris intermittens epidemica non erat, mulier crassa, 56. annos nata, Pleuritide vera affecta est. Ad finem secundi diei in auxilium vocatus pulsum parvum atque contra-

tractum inveni, ideoque sanguinis discum unum misi: is crustam non habuit. Julapium cum nitro et oxymelle simplici atque decoctum refrigerans imperavi.

Initio tertii diei Vesicatorium latum in affecto loco positum est. Post duodecim horas urina nubeculam valde mucosam habuit, utique a cantharidibus: pulsus plenus erat.

A medio die quinto multus sudor acidus erupit; fine vero eiusdem diei urina crassa, turbida evenit cum sedimento lateri trito simili. Per sextum diem sudoris non multum. At septimo die largus item sudor, et similis quoque urina turbida; quae morbo finem fecerunt absque sputo.

Praedixi, quod octavo die urina clara cum nubecula sanorum urinae similis futura sit. Quae ita contigit.

AEGROTUS XIII.

Anno 1774. die 15. Decembris iuvenis faber ferrarius Pleuritide affectus est. Eum altero die vidi; ex eiusdemque vena sanguinis discum unum misi, non plus; ob id, quod arteriarum pulsus contractus erat. Sanguis crustam habuit. Vesperi sanguinis item discum misi; qui similiter crustam habuit. Vesicatorium imperavi, iulapium cum oxymelle, decoctum refrigerans adiecto oxymelle.

Tertio die pulsus aliquantum mollis plenusque erat; ideoque sanguinem non ultra misi. Quarto cruda sputa aeger emolitus est.

A medio die quinto in sexti initium multus sudor acidus erupit; urina turbida evenit cum multo sedimento lateri trito simili: inde restituta spirandi libertas, deletaque omnis tussis est. Sexto die facilis sudor erat, A medio

sep-

septimi diei ad eius finem usque plurimus item sudor acidus erupit, iterumque facta turbida urina est cum sedimento lateri trito simili; protinusque secuta bona valetudo est.

Celebris quoque et notatu maxime digna Pleuriticae febris Crisis labiorum exulceratio est; quae morbum similiter protinus extinguit.

AEGROTUS XIV. Anno 1769. die 10. Januarii serva vesperi per horam inhorruit, deinde vehementer incaluit simul et acutum in dextro latere dolorem quartam inter et quintam costam accepit, cum spirandi difficultate, cum arida tussi, et cum celeri arteriarum pulsu.

Eius vena secta est; missusque ex ea iterumque missus sanguis lardaceam crustam habuit. Postero die calor remisit, et largus sudor erupit, et oris labia ulcerari coeperunt. Tertio die similis calor, similis item sudor post; et cum sic penitus exulcerata labia fuissent, ipsa etiam febris et lateris dolor ad finem eiusdem diei desierunt.

AEGROTUS XV. Anno 1779. die 4. Februarii serva primo friguit, deinde incaluit, acutumque in dextro latere dolorem accepit cum tussi et spirandi difficultate. Venam brachii eiusdem lateris secari iussi, ius tenue praestiti; et aquam potui dedi. Postero die exulcerata oris labia sunt; indeque omnis lateris dolor evanuit.

AEGROTUS XVI. Anno 1777. die 8. Januarii Pleuritide correptus est coquus. Protinus secta eius vena est, ex eademque missi sunt sanguinis disci tres; quorum unus crustae quidquam habebat. Bibit aeger decoctum refrigerans adiecto aceto vini destillato et Syrupo rubi idaei. Julapium quot horis sumsit ammisto nitro et oxymel-

le

le simplici ; cui altero die roob Sambuci drachmas duas adieci.

A medio ad exitum tertii diei aeger plurimum exsudavit. Exulcerata eius oris labia sunt ; ipsaque urina facta turbida est, atque sedimentum lateri trito simile deposuit ; ipseque lateris dolor deletus est, aegrumque protinus sanum reliquit.

Anno 1769. die 26. Jannuarii Virgo 50. annos nata Pleuritide vera tentabatur : ob quam secta ipsi vena est. Post, morosa noluit neque oblata quaepiam auxilia accipere ; sed contra suo indulsit genio. AEGROTUS XVII.

Huius oris labia ulcerari coeperunt ; inque his ut confectum pus est, febris ipsa aegram dimisit, et ipse lateris dolor delectus est. Convaluit autem die decimo absque sputo.

Sunt adhuc alii quidam Pleuritidis exitus quidem rari ; de quibus paulo magis infra dicam.

CAPUT III.

Quomodo Pleuritis fiat?

Atque tales quidem pleuriticae febris consueti exitus sunt ; qui omnem et febrim cito extinguunt, et tussim delent, et lateris dolorem eximunt.

Facilis autem ista febris est, utpote quae corpori non diu inhaeret; sed idem quamproxime, ut aliae quaedam exiguae febres, tertio, quinto, septimove die per sudorem perque

tur-

turbidam urinam dimittit. Excitatam vero esse eandem a singulari quapiam materia atque privato quodam miasmate per haec potissimum cognoscimus: cum quoniam ea citius e latere egressa tanquam adhuc cruda per labia exulceratur: tum quoniam ipsa saepe et utplurimum epidemica est; Vere nempe atque Autumno. Epidemici enim morbi, qui non a mutata per tempestatem corporis constitutione sunt, sed unicam tantum corporis partem prehendunt, quod excitati a privato quopiam miasmate sint, censentur. Neque obstat, quod intra caetera anni tempora hinc et inde aliquis unusve Pleuritide corripiatur. Potest enim Pleuritis, ut alii quidam epidemici morbi, sporradica remansisse.

Imo non absurdum est credere, istam pleuriticae febris materiam contagiosam esse, scilicet per quam aeger sanum quenquam inficere possit. Anno 1774 ad exitum Februarii mensis auriga ab itinere redux Pleuritide tentatus est. Isti in eodem lecto sua uxor per quinque noctes acubuit, neque eadem hoc tempore sive domo egressa est, sive vento, sive tempestati exposita fuit; nihilominus ipsa die 28. Februarii similiter Pleuritide affecta est. Aegrum istum aurigam amicus alter auriga invisit; idemque pariter Pleuritide correptus est.

AEGROTUS XVIII.

Fit autem Pleuritis maxime sic. Quoties pleuriticae febris materia (quae, cuius generis sit, paulo magis infra patebit) in latus se inclinat; in eodemque suum inflammationis focum figit; magnus ibidem et peracutus excitatur dolor; qui spiritum difficilem atque an-

gu-

gustum reddit, tussimque asperam vanamque efficit. Arteriarum pulsus ob dolorem contractus convulsusque est; parvus vero atque frequens ob respirationis angustiam.

Magis autem intenta ideo ista febris est; quoniam eius materia fixa in sensibili membrana est. Prout enim ita affecta aliqua corporis pars sive magis sive minus sensibilis est; pro eo etiam ex ea et dolor et febris modo magis modo minus intenditur. Ita, si pinguitudini ista materia inhaeret, ipsa iners est: si in carnibus est, levem ea dolorem exiguamque febrim excitat: in cute maiorem: in membranis, quae tendines atque ossa tegunt, maximum dolorem et febrim intensissimam. Id notum omnibus medicis est: exemplo sint diversae panaritii species. Quodsi porro eadem materia latus dimittit, et per labia erumpit, minor item in labiis dolor erit, quam qui in latere fuerat, etiam minor febris aut nulla fere. Quodsi ista materia e latere ad humerum ascendat (quod utique medici practici pro fausto omine habent) vix dolor et febris superest.

Contra; si eadem materia, quae ante exiguo cum dolore in humero residebat, postea in latus descendit; ea ibidem et vehementem dolorem et peracutam febrim excitat.

Anno 1774. mense Februario iuvenis sanaque virgo, quae neque arthritide neque rheumatismo unquam laboraverat, dolorem in humero accepit; qui exiguo cum frigore incepit, quod secutus exiguus calor est, exiguaque febris. Altero die dolor humerum dimisit atque in latus descendit, ibidemque conveniens in uno puncto fixit se. Inde ortus vehe- AEGROTUS XIX.

hemens ibidem dolor intentaque febris, pessimaque facta Pleuritis vera est, cum omnibus caeteris symptomatibus, quae propria pleuritidi sunt.

Aegrotus XX. Anno 1781. die 2. Martii iuveni dolor in sinistra axilla ortus absque febre est. Post aliquot horas dolor in latus descendit, et veram ibi Pleuritidem excitavit, cum peracuta febre. Missus e vena primus sanguis crustae expers erat; qui vero postea missus est, densa crusta tectus erat. Judicatus est aeger die septimo.

Nonnunquam etiam ista materia non protinus in latus decumbit; sed veluti vaga aliquot dies pectus ante pererrat, premit, atque vexat, quam in latere figit se atque ita Pleuritidem perficit. Quandoque inde spasmus tantum, non dolor est, pectoris partes quatiens; tuncque non multum caloris adest; ipseque sanguis, qui mittitur, parum crustae habet. Ita signifer imperatoriae legionis habebat. (Aegrotus XXI.) Is cum moschum atque camphoram assumsisset, intra 24. horas convaluit. Similiter Nutrix, quae (Aegrotus XXII.) Pleuritidi obnoxia erat, diu ante traxit, quam Pleuritis confirmavit se. Nonnunquam idem dolor ad latus, quod dimisit, revertitur. Is sexto die reversus est et paulo altius fixit se in latere iuvenis fabri ferrarii, de quo supra dixi. * Ita idem quarto d e sinistrum latus servi dimisit, et octavo die dextrum latus reprehendit. **

Aegrotus XXIII. Anno 1779. initio mensis Decembris, tempestate supra consuetudinem tepida et pluvio-

* Aegrotus VIII.
** Aegrotus LXXII.

viosa mercator 44. annos natus, et qui neque arthritide neque rheumatismo ante affectus erat, per itum atque reditum modo insudavit, modo iterum in subterraneas caveas descendit; deinde navi commisit se, adverso flumine Moguntiam iturus. Is in via friguit, et collum rigidum accepit. Supervenit dolor, qui nucham, deinde humeros, scapulas post, serpendo prehendit, sicque spirandi facultatem turbavit. Nihilominus arteriarum pulsus plenus et mollis erat, febris necquicquam.

Undecimo die dolor supernas corporis partes dimisit, et in latus dextrum descendit; ex eodemque et arteriarum pulsum parvum reddidit, et difficilem respirationem effecit.

Missus e vena sanguis est, qui tenuem crustam habuit; applicatum affecto lateri emplastrum vesicatorium est.

Tertio Pleuritidis die sudor acidus erupit; et urina sedimentum lateri trito simile praecipitavit; ipseque dolor latus dimisit et iterum ad humerum ascendit.

Quinto die similis sudor erupit simileque sedimentum urina praecipitavit, sicque aegrum integrae sanitati restituit.

Anno 1783. mense Decembri nobiles puellae altera octo, altera decem annorum, dolorem acutum in una axilla acceperunt; qui in scapulam transiit, ex scapula in nucham ascendit, exque ea in latus decubuit, ibidemque Pleuritidem veram excitavit. Secta vena est; sanguis crustam habuit. Sanatae sunt per easdem crises, quae imparibus diebus contigerunt. Aegrotus XXIV.

Anno 1784. die 23. Novembris virgo vigin- Aegrotus XXV.

ginti annos nata, quae nullo unquam dolore rheumatico laborabat, frigore correpta est, quod secutus magnus calor est. Altero die intumuit gena sinistra, ipsaque facta rubra et ardens est; quasi ibidem locorum abscessus iuxta gingivas futurus sit. Gingivae autem ipsae nequicquam tumidae fuerunt.

Ob febrim secta vena est; sanguis crustam habuit. Tertio die dolor et ardor genam dimiserunt, vitiumque in latus sinistrum descendit; inque eo Pleuritidem veram excitavit. Nunc sanguis, qui iterum e vena missus est, densiorem, quam ante, crustam habuit; qui tertia vice missus est, densissimam. Judicata est quinto et septimo die.

Atque ita quidem dolor ex humero in latus saepius descendit, quam id quidem medici noscunt; qui morbi nomen nosse contenti non ultra quaerunt: sed vellem, ut ipsi imposterum in istam quoque causae originem curiosius inquirant.

De crusta autem sanguinis inflammatoria haec dico. Per vehementem febris aestum serum (quae mucosa sive glutinosa sanguinis pars est) aduritur, cogitur, atque in tenax corium compingitur: haec crusta modo densa, modo coriacea, modo item levis, uti tenuis pellis est. Prout enim febris vel plus vel minus exardet, prout morbus vel incepit vel insedit, prout item sanus homo ipse vel plus vel minus seri, idemque vel magis vel minus tenax ante habebat, diversum crustae corium est. Crustarum pessima flava aut subviridis est, quae granula, qualia vetus mel, habet: talis enim et totum ferme sanguinem comple-

plectitur, et difficillime sive resolvitur, sive coquitur.

Quisquis igitur nosset istius febris titionem aut eximere aut extinguere, is Pleuritidi cito, tuto, et absque sputo mederi posset. Hoc an vulgaris medicorum dexteritas exequi queat, nunc pervestigatum ibo.

CAPUT IV.

De usitata Pleuritidis curatione.

Atque haec de Pleuritidis causa experta sunt. Sequitur vulgaris curatio, qua medici uti consuescunt.

Et primo quidem cum vidissent, quod sanguis, quem aegri miserant, crustam lardaceam habuerit; et quod hi, qui sputa crassa, pinguia, rotunda, et puri similia eiecerunt, a morbo evenerint; insuper quod post Hippocratem celeberrimi Medicinae Professores fere omnes in isto praecipue morbo magnam semper sputi rationem habuerint, utique omnem operam impenderunt, per quam similia sputa moverent. Ob quam rationem sanguinem saepe mittunt, ut aliquam crustae portionem demant, et talia medicamenta offerunt, quae crustam solvere solutamque movendo tussim extundere queant: iulapia nempe cum nitro et oxymelle squillitico, Kermes minerale, decoctum attenuans, et latum emplastrum vesicatorium loco, in quo dolor pungit, affixum —. Apage oleosos linctus, quibus Medicorum aliqui utuntur!

Verum hi, quoniam curationem ad crustam dirigunt, quam febri debent, opinione vehementer decipiuntur. Pleuritis enim non ob crustam est; sed contra crusta ipsa, ut supra per experimenta indicavi, a Pleuritide fit. Ita cum effectum pro causa habeant, mirum non est, quod eosdem curatio saepe fallat. Veluti cum sabuli granum illapsum in oculum est, oculus dolet, rubet, palpebrae convulsiva vi clauduntur, exprimuntur plurimae lacrymae. Vanum foret curationem ad lacrymas dirigere, quam sabuli granum exigit. Extracto sabulo dolor oculi cessat, restituta est palpebras diducendi libertas, neque imposterum lacrymae defluunt. Similiter demto e latere stimulo, dolor desinit, respiratio libera est, tussis sputumque desistunt.

Et profecto ipsi, si attendissent, etiam hoc scivissent, nullum sputum intra Pleuritidis febrim sive coqui sive expectorari; sed contra posteaquam febris ipsa inclinavit atque in calore remisit: id est, expectoratione febrim non minui, sed minuta febre sputum expectorari. Experientia enim constat, multas et secretiones et excretiones asperata quacunque febre vel turbari vel retineri: restitui vero easdem, quamprimum febris dimisit. Imo sputa rotonda, quae sive sani per consuetudinem, sive aegri ob alium quempiam morbum eiicere consueverant, ipsa, siquidem Pleuritis incidit, cohibentur; neque eadem ante egrediuntur, quam pleuritica febris ipsa ex toto desiit.

En exempla.

AEGROTUS XXVI. Anno 1762. die 13. Maii vir annos 44. natus, phlegmaticus et qui per multos hucusque

que annos sanus mane multa sputa rotunda liberaliter eiicere consueverat, Pleuritide vera correptus est: protinusque consueta sua sputa cohibita sunt, neque ipsa ante revenerunt, quam post superatam febrim ad exitum morbi.

Anno 1766. mense Novembri monialis virgo, de qua supra dixi, * annos 53. nata, catarrho, qui ea tempestate popularis erat, correpta est cum longa febre et difficili per quindecim dies coctione. AEGROTUS XXVII.

Deinde mediam intra sputi cocti expectorationem Pleuritis, quae similiter popularis esse incepit, incidit; et aegram, etsi ea neque cameram neque lectum ante deseruerat, acerbe habuit. Ob quem novum morbum anhelitus erat, tussis acerba, atque arteriarum pulsus frequens et celer: ipsum quoque catarrhi sputum coctum, quod eousque liberaliter exiverat, nunc omne retentum est.

Secta pro doloris et virium ratione vena est, ipseque sanguis crustam tenacem lardaceam habuit: praestitum quoque iulapium atque decoctum refrigerans est, et imposita lateri fomenta sunt. Iudicata est multo sudore acido atque urina turbida, quae sedimentum lateri trito simile praecipitavit.

Post, cum intra tertiam septimanam vires constitissent, multa sputa cocta, rotunda liberaliter sine adiumento per plures dies exierunt, usque dum omnia illa, quae ob pleuriticam febrim intus retenta erant, expulsa fuerint.

 Si-

* Aegrotus II.

Similiter phthysicorum pus, quod aegri sputo eiicere consuescunt, Pleuritide, si ea incidit, retinetur. Neque idem pus, nisi post excussam Pleuritidem imposterum, veluti ante, liberaliter expectoratur.

Aegrotus XXVIII.

Anno 1776. Octobri, quo tempore Pleuritis popularis erat, vetula quae post multum sanguinis sputum phthysica facta est, ideoque a longis hucusque annis pus sputo eiecit et mali corporis habitus erat, Pleuritide correpta est. Evenit per nostram curationem, cum quinto et septimo die insudasset, atque urinam turbidam cum sedimento lateri trito simili emisisset.

Ipsum autem puris sputum, quod aegra ante liberaliter eiicere consueverat, nunc intra ipsam Pleuritidem omne cohibitum est; neque idem ante revenit, quam Pleuritis tota submota erat. Verum tunc superata Pleuritide per convalescentiam duplo fere plus sputi exivit, quam ante incidentem istum morbum solebat: id est, primo id, quod pleuritica febris ex Phthysi retinuerat, deinde illud quod confectum ex inflammati sanguinis crusta erat: donec paulo post ad usitatam sputi antiquam portionem perventum sit. Nullam etiam noxam Pleuritis post se reliquit; sed mansit imposterum mulier neque plus neque minus phthysica.

Aegrotus XXIX.

Anno 1769. pauperrimus mercenarius, qui a multis retro annis spiritum difficilem habebat, et pus sputo eiicere consueverat, incidit in Pleuritidem. Pleuritica febre cohibitum veteranum sputum est, neque idem ante, quam post superatam pleuritidem et posteaquam vires satis constitissent, reversum est. Ut

Ut Pleuritis, si incidit, sputum, quod est, retinet; ita eadem alias quasdam humorum excretiones, quae secundum naturam esse debent, cohibet; neque easdem ante liberat, quam Pleuritis ipsa corpus dimisit: lac nempe nutricum et puerperarum lochia.

Anno 1774. die 28. Februarii uxor aurigae, de qua supra dixi, * Pleuritide affecta lac, quo suam hucusque prolem alebat, per morbum amisit. Inde factus peior morbus, quemadmodum ob alteram lactis febrim, est. Reversum vero intra convalescentiam idem lac est, quo imposterum mulier prolem nutrire continuavit. AEGROTUS XXX.

Anno 1773. die 3. Maii mulier iuvenis, plethorica, et quae a sex et dimidio mensibus utero habebat, incidit in Pleuritidem, quae ea tempestate et iuxta et circum nos popularis erat. AEGROTUS XXXI.

Ad exitum tertii diei mulier peperit praemature. Nullus partum secutus sanguis est, secuta nulla lochia sunt. Superato vero morbo lochia per convalescentiam, veluti a recenti partu, effluxerunt.

Tantum igitur abest, ut sputa intra Pleuritidis febrim sive coqui sive excerni possint, ut ea potius per ipsam febrim retineantur. Similiter crusta ipsa non prius, quam post febrim per corporis vires, quae magis intra convalescentiam, quam intra morbum consistunt, coquitur; per sputum nempe, per alvum, per furunculos, per bubones. Quae quidem coctio atque crisis, quemadmodum ea ad exitum om-

* Aegrotus XVIII.

nium earum febrium continentium, quae ardente calore serum adusserunt, contingit, aut in convalescentiam usque trahit; ita eadem post pleuriticam febrim obtinet. Ad haec, ne iusto longior sim, duo, quae sequuntur, exempla sufficiant, efficacia profecto.

AEGROTUS XXXII. Juvenis faber ferrarius de quo superiore capite primo dixi, * anno 1779. mense Maio Pleuritide, qua ea tempestate popularis erat, affectus est. Ex aegri vena primo die missus vesperi sanguis est, sanguini sani iuvenis simillimus. Missus altero die sanguis aliquantum crustae habebat: ei vero, qui extractus vesperi est, disco, crustae aliquantum plus inerat. Sicque quotidie crusta, quoties missus imposterum sanguis est, et crassior simul et durior evenit. Fuit autem per decursum morbi septies secta vena.

Isti aegro praestita medicamenta sunt, et die quarto emplastrum vesicatorium latum ad affectam partem: his lateris dolor absque sputo evanuit, aegerque libere spiravit. Quinto die neque sudor erupit, neque turbida facta urina est. Ad exitum sexti diei reversus in ipsum quidem latus idem dolor est: verum is nunc magis supra fixit se. Quem ascensum Hippocrates tamquam exitiosum damnavit *a*). Secta itaque vena ex eademque extractus unus san-

---

* Aegrotus VIII.

a] » Horrendae quoque hae [pleurirides] in quibus dolores » superne sunt. »
Coac. praenot. Sect II Nro 222.
Item » Dolores modice acuti, ad claviculam ac sursum transeuntes, perniciosi »
Coac. praenot. Sect. I. Nro 90.

sanguinis discus est, qui perdensam crustam habebat. Medio septimo die sanguinis tantundem, isque summe densam crustam habuit; adeo, ut omnis ista fere sanguinis portio nil, nisi crusta fuerit. Applicatum insuper inter scapulas latum emplastrum vesicatorium est.

A medio istius diei septimi ad eius exitum, etiam cum pessimo tali sanguine, sudor multus acidus ex universo corpore erupit, cum eodemque urina turbida evenit, et sedimentum lateri trito simile deposuit: protinusque aeger omnis doloris expers libere spiravit; simul et factus arteriarum pulsus lentus, mollis, aequalis et aliquantum undulans est, talisque imposterum permansit. Octavo die iuvenis lectum, etsi viribus fractus, deseruit cibos desiderans.

Erat iste sudor istaque urina turbida ipsius febris crisis. Sed quo ita subito devenit pessima illa densissimaque crusta, quae universum sanguinem adeo impleverat?

Haec per corporis vires, cum eae intra reconvalescentiam constitissent, cocta est. Etenim undecimo die pulsus et plenior et frequentior factus est; ex quo proxime crisin instare suspicabar: eandemque ob rem suasi, ut iuvenis mane et vesperi aquae Selteranae tepidae libram, adiecto sacharo sorbeat.

Die decimo tertio sputum coctum facile et liberaliter erupit, crassum, rotundum, album, non puriforme, sed quemadmodum cera alba semiliquefacta; utique tale, quale etiam post alios quosdam inflammatorios morbos intra convalescentiam emitti videmus.

Hic itaque duae istae diversae crises omnino spectabiles erant: altera febris, quae pri-

or septimo die contigit ; altera materiae , quae posterior die decimo tertio secuta est .

Aegrotus XXXIII. Anno 1779. die 1. Maii monachus 50. annos natus pleuritide tentatus est . Altero die missi ex incisa vena sanguinis disci duo sunt , crusta tecti : tertio die sanguinis item disci duo , densiorem crustam habentes. Applicatum affecto lateri emplastrum vesicatorium est.

Neque quinto neque septimo die vel sudor erupit , vel urina turbata est. Ideo peior morbus evenit. Die nono , propterea quod pulsus concitatus celerque erat , discum sanguinis misi , qui densissimam crustam habuit . Rursum vesperi sanguinis uncias circiter quatuor : isque totus in crustam compactus erat.

Ad exitum undecimi diei multus sudor acidus ex universa corporis cute erupit , et urina turbida evenit cum sedimento lateri trito simili. Inde arteriarum pulsus factus laudabilis est , et spiritus liber . Superato morbo sputum coctum puriforme eiectum est ; aegerque prospere hucusque habet.

Male igitur aegris consulunt, qui in pleuritidis curatione potissimam sputi rationem habent ; sed contra, debet ad ipsam febrim dirigi curatio, ut ipsa mali causam tollat. Ob quem in medendo errorem saepe obtinet , ut febris necquicquam in calore desistat , sed ipsam inflammatam in latere plagam pure impleat , quod postremo in pectoris cavitatem prorumpit. Ad nova tunc recurritur remedia crudelia, quae sectis inter costas carnibus puri exitum patefaciant ; aut refugium ad balsamica est , quae neque mutare pus neque idem eximere possunt. Si gangraena aegrum iugulat ,

nihil

nihil auxilii superest. Debet autem pleuriticorum nemo (dummodo is ante sanus fuerat) sive empyicus fieri , sive gangraena corripi ; secus in curatione culpa est.

Est autem miserabile illud fragilium hominum fatum , ut , cum principem unum errorem pro Vero acceperint, idem imposterum iisdem per multos alios illudat, ipsosque in devia deducat. Talis inanis illa et nullius ad aegri salutem frugi quaestio est ; sputum , siquidem morbi causa in pleura residet , per quam viam ad pulmonem perveniat ?

Hoc ut alii qui pleuritidem ob inflammatam pleuram esse volunt , explicent, secretas ex pleura in ipsum pulmonem vias , quae non sunt, statuere ; per quas sputum illuc directe transiret . Alii non sic , sed Pleuritidem non in ipsa pleura , sed in extima pulmonis membrana, quae a continuata pleura venit , residere sustinent. Alii utrimque et in pleura et in extima pulmonis pelle inflammationem esse contendunt , ideoque morbum Pleuropneumoniam appellare malunt. Utrumque quaerere vanum est, neque quidquam ad curandi rationem , veluti proximo capite dicam , confert. Siquidem non ex alterutrius membranae plaga, in qua fixa inflammatio est, sputum venit: sed ex ipsa universi sanguinis crusta , posteaquam cocta ea est. Etenim per omnes corporis glanduals , per quas intra bonam valetudinem mucus secerni consuescit , per easdem superata febre idem coctus eiicitur . Cum itaque pulmo et multas tales muci glandulas habeat , et insuper omnis sanguis per eundem transeat, mi-

rum

rum profecto non est, quod plurimus talis mucus coctus post Pleuritidem per easdem pulmonis glandulas excernatur. Nihilominus etiam caeterae huius generis glandulae, quemadmodum quae in membrana pituitaria nasi, et in intestinis sunt, suam quaeque portionem eliminant, quam evenientes a morbo emungunt, et alvo deponunt. Veluti exempla infra ponam. Id potissimum intra convalescentiam spectabile est; quod valetudinis stadium multi medici practici, utique propter aegrorum turbam, observando non procul ultra prosequuntur.

Postremo hi de lana caprina rixantur: siquidem, ut paulo magis infra capite quinto demonstrabitur, Pleuritis necquicquam ob inflammatam Pleuram, sed ob inflammatum Pulmonem est.

Alterum remedium, quo medici utuntur, Emplastum vesicatorium latum est, quod affectae parti applicant; eae potissimum plagae intra quam fixus dolor est: scilicet volunt, ut volatile atque satis acre cantharidum sal, quod penetravit, tenacem sanguinis crustam incidat; quo facilius ea sputo excuti possit. Intrasse autem in sanguinem quidquam ex cantharidibus per hoc nosse putant; quoniam postero die urina, etsi non semper, tamen saepe, cum ardore atque dolore emittitur: bono etiam augurio esse existimant: si mucus eidem urinae inhaeret: iste nonnunquam spissior est, et conveniens seque ipsum contrahens indurescit, veluti caruncula esset.

Utrum vero ex incisae ipsius crustae ramentis iste mucus, an vero ex uretherum ve-

si-

sicaeque smegmate proveniat, recte dubitari potest: siquidem medicamenta quae ex cantharidibus conficta sunt, similem urinae mucum ostendunt; etsi aeger neque Pleuritide neque alio quodpiam morbo laboret, intra quem sanguis talem crustam habere consuescit.

Neque etiam, etsi iste mucus ab incisa sanguinis crusta esset, quicquam iuvat; cum quoniam sic non satis crustae divisum attenuatumque est, tum potissimum ob id quod sputum vesicatoria saepe non sequitur; sed posteaquam, ut supra monui, cum febris ipsa in calore desistit, idem erumpit. Exemplo item sit iuvenis ille faber ferrarius, de quo paulo ante dixi; etsi enim is quarto die applicatum lateri vesicatorium habuisset, nihilominus eius sanguis qui quinto et sexto die extractus est, plus, quam ante, crustae habebat. Imo post alterum latum vesicatorium, quod sexto die inter scapulas positum est, sanguis septimo die missus fere totus in omnium densissimam crustam coivit. Similiter monachi sanguis quo diutius morbus insedit, eo densiorem crustam accepit: etsi idem applicatum emplastrum vesicatorium habuisset.

Et siquidem post applicatum tale vesicatorium proxime secutum laudabile aliquod sputum est, idem non ideo evenit quoniam cantharidum sal sive crustam incidit, sive vasa ad agendum et Pulmonem ad expellendum incitavit; sed potissimum ob id, quod ita extus excitatus dolor inflammationis focum commovit eundemque a parte sensibili in minus

sen-

sensibilem traxit : inde dolor et cum eo febris desierunt, ob eandemque causam reversa spirandi libertas est, sputumque paulo post : quemadmodum id supra fusius a me demonstratum est. Eadem ratione modoque, ac cum omnis inflammationis materia per oris labia erumpit, totus morbus desinit; aut ubi eadem materia ad humerum ascendit, ut supra per exempla docui.

Ob quam causam non raro obtinet, ut vesicatorii Stygma pus coctum trahat, aut iuxta eam plagam furunculi vel proxime vel paulo post cum emolumento erumpant.

Recte vero medici inflammationis atque febris causa decoctum refrigerans potui dant : quod praeprimis per certas herbas attenuans efficere volunt, utique quoniam crustam attenuare student : sed in eo vehementer errant atque aegros laedunt, quod eosdem ad bibendum supra modum rationemque urgent atque potu veluti inundant : quod vitium diluentibus medicis familiare et aegris noxium est. Potus enim aquae nimius, aut citius quam convenit, ingurgitatus per sanguinem sine profectu translabitur, aut cum noxa per alvum effunditur. Vidi, quod aegri, qui tale decoctum contra praeceptum iusto liberalius hauserunt, alvi fluxum aquosum acceperint : rursum vero clausam alvum habuerint, posteaquam ipsum eundem potum ad libras sex intra viginti quatuor horas coërcuerunt. Potus enim, ut proficiat, debet similiter ac cibus digeri : nimius ventriculum gravat atque offendit; quemadmodum id unusquisque medicus ex pulsu, si eum novit, facile percipere poterit. Talis potandi ex-

excessus naturam turbat, eandemque a salutari sua opera, quam adversus morbum incepit, deflectit atque novo vitio onustat. Parvis itaque et saepe repetitis haustibus potus dari debet; quo facilius idem confici possit, confectusque sangini penitus uniri. " In Pleuriticis ac peripneumonicis mala est urina, quae post potum cito mingitur. „ *a*) Utique quoniam potus, qui sanguini non iungitur, iuvare non potest.

Nunc ad venae sectionem venio, quae princeps inflammationis remedium est. Et hic iterum in disputationis limine quaeritur, ad quem usque morbi diem sanguinem mittere liceat? Hos inter disceptantes plurimi venam ante quartum morbi diem incidere malunt, imposterum nolunt, Contra alii procul ultra sanguinem eximunt. Ego (uti per decursum istius libri docebo) sanguinem toties subtraho, quoties et calor exardescit, et febris urget. " Anaxionis pleuritide laborantis vena die octavo secta in cubito est „ *b*).

Deinde altera item inter medicos controversia est, utrum ex brachio affecti lateris sanguinem ducere conveniat, an ex adverso trahere eundem praestet? In qua quidem opinionum diversitate utrique adeo tenaces suae sententiae sunt, ut, cum aliquem horum sua curatio fefellit, idem protinus culpam in venae sectionem coniecerit, propterea quod ea in altero brachio contra suam existimationem instituta fuit. Contra vero alii diversi ab illis sanguinem ex alterutro brachio perinde trahunt.

Ego

a) Hippocrates libro de coacis praenot. Nro 3.—5.
b) Hippocrates de morb. popul. lib. III. sect. II. aegrotus 8.

Ego sanguinem non absque ratione e vena sic eximo: nempe primas venae sectiones in brachio eiusdem lateris, in quo fixus dolor est, instituto; posteras prout venae locus superest in alterutro. Ex affecti lateris vena sanguinem mitto ob rationes, quas experientia me docuit; et quae unicuique medico practico patebunt, si is attentum ad eas animum habere velit. Hae tales sunt.

Qui magnum hepatis lobum inflammatum habet, huius gena dextra plus rubet et ardet, quam sinistra. Contra, siquis magnam in aliquo sinistri corporis viscere inflammationem habet; eius gena sinistra plus rubet et ardet, quam dextra. Id saepe obtinet. Nonnunquam gena sani lateris necquicquam rubet, sed altera secundum laesum latus. Similiter vidi, quod gena rubra et ardens iuxta idem latus fuerit, in quo inflammatus unus pulmonis lobus erat: contra in altera gena *a*). Est igitur certus aliquis inter ipsas eiusdem lateris partes consensus. Homines vidi; qui omnia sua vitia, quae iisdem a longis eousque annis acciderunt, in una eademque dimidia corporis parte a capite ad calcem usque habeant; nullum in adversa parte. Vir phthysicus erat, et sputo pus eiecit; in sinistro latere cubare potuit, in dextro non.

---

a) » Peripneumonicis quibus tota lingua alba et aspera fit, ambae pulmonis partes inflammatae sunt, quibus vero dimidium, una, iuxta quam apparet. Et quibus ad claviculam dolor fit, his superna pulmonis ala una aegrotat; quibus autem ad ambas claviculas dolor fit, ambae supernae pulmonis alae aegrotant, quibus iuxta mediam costam, media; quibus vero ad diaphragma, inferna: at totam unam partem dolentibus, omnia iuxta hanc partem aegrotant ». Hipp. Coac. praenot. Nro 400.

non. Erat ulcus in sinistro pulmone. Magnum tumorem inkistatum iuxta costas eiusdem lateris secundum vertebras habuit: tumorem item inkistatum ad digitum sinistrae manus, qui apertus curationem non admisit: similem tumorem in sinistro femore; talem item in sinistro crure. Istius generis exempla attentos practicos non latebunt. Nunc ad Pleuritidem revertor. Saepe vidi, ardente calore genam eiusdem lateris, in quo dolor pleuriticus pressit, potissimum rubram calidamque fuisse. Jam ad arterias venio, experimentumque ponam; quod etsi non semper, tamen saepe obtinet. Si similis utrinque et arteria radialis est, et utraque arteria similes ramificationes habet, solet pulsus sani hominis in exercitato brachio maior fortiorque esse, quam in non exercitato. Si dexter homo est, pulsus maior ad carpum dextrum est, minor ad sinistrum: et vicissim, si laevus idem est, pulsum maiorem ad laevum quam ad dextrum carpum habet. Inde siquis sani cuiuspiam hominis pulsum iuxta carpum tangit, poterit ipsi dicere laevusne an dexter sit. Quod faticinium tanquam mirabile imperiti, me ridente, comprehendere non poterant. Idem saepe contigit, si acutus in una sive dextera sive sinistra corporis parte dolor est. Arteriae iuxta carpum affecti lateris fortius quam iuxta carpum sani lateris vibrant. Si magnus dolor dimidiam capitis partem exagitat, aut acutus dentium dolor unam maxillae partem vexat, pulsus ad carpum affecti lateris saepe (etsi non semper) fortior est, quam ad carpum alterius lateris, in quo dolor non premit.

Ju-

AEGROTUS XXXIV. Juvenis carpentorum faber 22. annorum, dexter arteriarum pulsum et fortiorem et maiorem ad dextrum carpum quam ad sinistrum habebat, is anno 1772. die 15. Octobris Pleuritide vera tentatus est. Dolor in sinistro latere sextam inter et septimam costam erat. Intra istum dolorem arteriarum pulsus, (quod notatu maxime dignum est) nunc ad sinistrum carpum multo maior et durior fortiorque erat, quam ad carpum dextrum. Judicatus est septimo die.

Superato morbo, cum bona valetudo constitisset, iterum arteriae pulsus, ut olim, ad dextrum carpum nunc maior fortiorque est, quam ad sinistrum carpum.

AEGROTUS XXXV. Anno 1773. die 1. Maii, quo tempore Pleuritis popularis erat, iuvenis sutor, qui dexter intra sanitatem pulsum in dextro brachio fortiorem quam in sinistro habet, Pleuritide in sinistro latere affectus est. Protinus ut morbus incepit eius arteria ad sinistrum carpum fortius quam ad dextrum vibrabat.

Superato morbo pulsus item ad dextrum carpum, quemadmodum intra bonam valetudinem consueverat, maior et fortior est, quam ad sinistrum,

Per haec atque similia talia experimenta (quae hic recitare nimis longum foret) ad credendum inducimur, corpus humanum constare ex duobus semicorporibus media longitudine sibi invicem adunatis, adeoque ad eam dimidiam corporis partem, quae aegrior altera est *a*), auxilium praecipue et potius adhibendum

---

a) Hipp. locc' citato.

dum esse, quam ad alteram, quae ita minus aegrotat: ob eandemque rationem e cubito eiusdem lateris, in quo fixus dolor est, sanguinem mitti debere; non ex altera parte, quae doloris expers est. Quod si quis isti theoriae non libenter subscribat, ei aliam substituto, quae item controversiam non admittit, Siquidem, cnm arteriae affecti lateris (veluti id nonnunquam contingit) et magis intentae sint, earumque pulsus et fortior et celerior sit; utique ipsae sanguinem maiori vi atque impetu in inflammatum focum incutiunt, atque incuneant; ideoque ut has sanguinis furias intra dimidiam istam corporis partem componamus, tutius est, e cubito affecti lateris sanguinem mittere; quam eundem ex adversae partis, quae laesa non est, vena trahere.

Verum minimum istud intra curationem peccatum feret, sive sanguis ex affecti, sive ex integri lateris vena mittatur: maior in copia, quae hodie supra vires emittitur, noxa residet: siquidem, cum medici hucusque putassent, quasi omnis totaque morbi culpa in sanguinis crusta consisteret, utique sanguinem tam diu extrahere volebant, donec postremo sanguis crustam amitteret. Verum hi vehementer falluntur, atque aegros in perniciem praecipitant. Non enim (ut supra demonstravi) Pleuritis ob sanguinis crustam est; sed ipsa crusta fit per febrim, quam deposita in latere materia excitavit; hanc materiam si arte tollere, aut eius focum extinguere nesciunt, frustra crustae ipsi occurrunt. Deinde crusta (ut supra per exempla docui, et ipsis medicis

practicis cognitum esse debet) quo diutius febris insidet, eo densior tenaciorque eadem fit: adeo ut ipsa post postremas sanguinis missiones peior quam post priores sit. Imo, si omnem sanguinem eximant, semper crustam habebunt, propterea quod crusta toti sanguini inest. Et siquidem aliquando sanguis post aliquas venae sectiones crustae expers erat; ita non sanguinis missionis causa atque ratione contigit, sed ob id, quod inflammatio ipsa per resolutionem finem accepit: veluti id iuxta eos videre licet, quorum Pleuritis tertio die per se finem accepit; quale exemplum supra a me positum est. Falsi itaque fuere; cum venae sectioni adscripsissent, quod naturae beneficio debetur.

Postremo nimia ista atque superflua sanguinis missio vasa debilitat, corpus eneravat, sicque utraque imparia efficit morbum superando. Ita nulla esse febrilis materiei neque resolutio neque coctio neque excrétio potest *a*). Ob quod vitium medici etiam eas crises, quae isti morbo propriae sunt, non vident; propterea quod morbi ipsius genium mala medendi methodo perverterunt. Debet igitur in his medicus ratione uti; ut neque excedat, neque deficiat. Nulla enim febris sphacelum facit; aliquantum ex febre vel resolvit vel coquit, maior febris suppurationem, maxima gangraenam causat.

Ob quem in medendo errorem saepe obti-

a) » Sic et vasorum vacuatio, siquidem talis fuit, qualis fieri » debet, confert, et bene ferunt. Sin minus, viceversa. » Hipp. Aphor. 2. Sec. I.

tinet, ut pleuriticorum alii sphacelo extinguantur, alii gangraena iugulentur, alii purulenta tabe consumantur. Igitur ad causam febris, non ad crustam, quae a febre ipsa est, dirigi curatio debet; id est, ad malam materiam quae fixa in latere est; a qua febris ipsa evenit, quae crustam compingit; si curationis successus exspectationi respondere debeat. Verumque est, quod celebris olim neque semper iniquus in scholas declamator Helmontius dixit, istam e latere spinam tolli debere; etsi eandem ipse tollere nesciverit. Idem Sanctorius dixit *a*).

Qui igitur hanc materiam e latere eximere, istamque spinam evellere posset, is Pleuritidi cito, tutoque mederetur. Nemo tabe, nemo gangraena afficeretur, omnes perinde cito et absque noxa evenirent. Quam curationem, quomodo per longos hucusque annos executus sim, nunc ponam,

CAPUT V.

De mea Pleuritidi medendi ratione.

Ubi aliquem Pleuritide affectum hominem accipio; eius pulsum in utroque carpo tango. Verum huic, tanquam saepe fallaci, non pro-

a) » Pars corporis ut repleta sanguine, vel alio humore, ut » in tumoribus, et in ipsa Pleuritide, non est refrigeranda; » quia evacuata materia, sponte refrigeratur ». De medic. Static. Sect. I. Aph. 101.

tinus fido : potest enim eum aegri aut gaudium, quoniam suum medicum videt, aut metus aut quilibet alius animi affectus vel citare vel resolvere *a*). Ita pulsum aliquoties tango, donec talem constantem esse percipio. Isque morbo proprius esse censetur.

Cognito sic pulsu venam in cubito affecti lateris, ob eas rationes quas antecedente capite posui, incidi iubeo : intereaque temporis, quo sanguis fluit, alterum brachium manu prehendo, in eiusdemque carpo pulsum exploro; scilicet ut ex eo discam, quantum sanguinis mittere conveniat. Quae certissima regula iustaque mensura est. Ridiculum enim est, quod quidam volunt, certas sanguinis, qui mitti debet, uncias statuere; et vanum est ad id vasa assumere, quae uncias notatas habent : ad sanguinem enim suscipiendum apta multa vasa sunt. Ego ad id planis discis, quales mensae imponere consuescimus, utor.

His ita ordinatis, si pulsus frequens et contractus est, sanguinis discos duos mitto. Si inter hos pulsus non explicat se, sectam venam claudi iubeo. Quodsi vero idem ad finem secundi disci se explicet, atque maior, fortior, duriorque (quod non raro evenit) fiat,

ter-

a) » Adeo ut, cum primum medicus venit, solicitudo aegri » dubitantis, quomodo illi se habere videatur, eas (ve- » nas) moveat. Ob quam causam periti medici est, non » protinus ut venit, apprehendere manu brachium : sed » primum residere hilari vultu, percunctarique, quemadmo- » dum se habeat, et, si quis eius metus est, eum proba- » bili sermone lenire, tum deinde eius carpo manum ad- » movere. Quas venas autem conspectus medici movet, » quam facile mille res turbant! » A. C. Celsus Lib. III. Cap. 6.

tertium discum sanguine impleo. At si pulsus plenus et durus est; quocunque die advocor (saepe autem non protinus advocantur medici, sed posteaquam morbus per dies insedit) tres sanguinis discos mitto. Inde pulsus mollis, et respiratio liberalior fieri consuescunt. Verum primum istud levamen inconstans esse solet. Paulo enim post, similiter ut ante, spiritus comprimitur.

Post primam sanguinis missionem iulapium atque decoctum refrigerans, quale supra dixi, impero. Similem item cibum.

Deinde aegrum quaero, qua morbus inceperit: certum enim initium hic morbus habet. Ab ista principii hora in parem sequentis diei horam, (id est per viginti quatuor horas) diem computo, et sic imposterum caeteros dies numero. Quae attentio in istius morbi curatione permagni momenti est, veluti id paulo magis infra patebit.

Post sex vel octo horas, si aegrum inviso, omnia fere, ut ante fuerant, eadem sunt. Itaque si pulsus, qui ante primam venae sectionem parvus et contractus erat, nunc (ut fieri consuescit) plenus, frequens et celer est; duos ex eadem vena sanguinis discos mitto; si vero, (quod admodum rarum est) idem hucusque parvus atque contractus manserit, nec angustior respiratio evenerit; unum sanguinis discum mitto: et tum potissimum iste pulsus explicat se. Illi vero aegro, qui initio pulsum plenum et durum habebat, et ideo tres sanguinis discos miserat, nunc item ex eadem vena sanguinis discos duos mitto; prop-

terea quod nunc pulsum plenum frequentem atque celerem, ut talis aeger assolet, habet. Pulsum autem frequentem eum appello, cuius pulsationes dato tempore iusto plures sunt; celerem vero, cuius pulsationes celerem et veluti acutam arteriae diastolen habent: isque certum inflammationis indicium est. Quae distinctio medicis et perutilis et scitu necessaria est.

Intra secundum diem post alteram venae sectionem non multum ex morbo mutatum est; sed solet idem talis manere, qualis post alteram venae sectionem evenit. Neque unquam isto die facta utilis aliqua huius mutatio est; nisi forte ad eius exitum eruptio ad labia inceperit; quae nihilominus plena et perfecta tertio die est. Itaque intra istum diem et ante eius finem sanguinis discum unum, non plus, mitto. Nuncque perinde est, ex altero cubito sanguis mittatur an ex affecti lateris brachio. Si e cubito integri lateris nunc sanguinem mittere placeat, debet fascia atque splenium, quod venam cubiti in affecto latere ligaverat, ante demi; nempe ut nunc ad istum carpum medicus pulsum tangere queat, et ex eo coniecturare; quantum sanguinis mitti debeat: ne arteria, ob ita ligatam venam, sanguine plus intumeat, fortius vibret, et alienum pulsum mentiatur.

Hucusque sanguinem mitto, eiusdemque tantum. Non aliam quoque crustae, quae sanguini superest, rationem habeo, quam ut mihi indicet, quid futurum sit. Curationem autem ipsam non dirigo ad crustam; propterea quod

ipsa,

ipsa, ut supra demonstravi, non morbi causa sed febris effectus est. Contra, febris materiei ipsi occurrere studeo; in qua attentione totus curationis cardo vertitur. Ob quam rationem, quotiescunque sanguinem mittere opus erit, non sanguinis plus demo, quam expedit ad minuendam febrim; necquicquam autem, veluti imperiti sibi persuadent, ad extinguendam eandem. Debet enim tantum ex febre remanere, quantum sufficit ad febris causam (sive spinam) quae fixa in latere est, solvendam coquendamque, quo tutius eadem vel tertio vel quinto septimove die e corpore per sudorem atque urinam expellatur. Ad quam cautionem si non attenditur; saepe obtinet, ut aegri purulenta tabe, posteaquam diu traxerunt, deleantur. Quod cardinale peccatum eorum est, qui iuxta scholas largis venae sectionibus febrim extinguere et crustam a sanguine demere contendunt ——. Qui febre uti nescit, mederi ignorat.

Si foemina pleuritide laborat, et fluxus sanguinis menstruus instat; sanguinem prius ex cubiti vena, deinde ex pede affecti lateris traho. Quodsi intra pleuritidem menses eruperint; et febris urgeat; nihilominus medium intra istum sanguinis fluxum pedis venam audacter incidi iubeo: Ita enim vel menstruus sanguis fluere continuat; vel, si desistat, idem superato morbo iterum erumpit.

Anno 1780. mense Decembri iuvenis mulier pleuritide correpta est, et simul sanguis menstruus erupit. Sanguinem ex incisa pedis vena traxi. Convaluit, non interrupto fluxu menstruo. AEGROTUS XXXVI.

 An-

AEGROTUS XXXVII. Anno 1780. die 18. Januarii mulierem 40. annorum pleuritis prehendit : supervenit fluxus sanguinis menstruus tanquam statuto tempore. Sanguinem bis e vena pedis in affecto latere misi : nihilominus aegra per crises quinto et septimo die perfecte iudicata est : perinde ac caeterae quae sine menstruo erant.

AEGROTUS XXXVIII. Vere anni 1780. iuvenis mulier fluxae valetudinis et vitiati corporis habitus pleuritide tentata est. Sanguis bis e cubito affecti lateris missus est. Tertio die sanguis menstruus erupit : vesperi intentus calor est, ob quem etsi fluentibus menstruis tamen sanguinem e pede affecti lateris traxi. Post istam venae sectionem sanguis menstruus protinus desiit : restituta valetudine idem iterum erupit, et recte fluere continuavit.

Si initio tertii diei (id est post quadraginta et octo horas) oris labia ulcerari incipiant, tunc dolor latus dimittit. Perfecta ista crisis est, neque aliam post se relinquit. In hoc casu propria medicamenta reiicio, et nihil praebeo, quam Roob Sambuci et potum tepidum, quo vitiatus humor omnis ad labia, quorsum natura tendit, tanquam per conferentem locum, feratur. Si sanguis, qui primo die e secta vena primus missus est, densam crustam habebat, alter qui eodem die per alteram venae sectionem extractus est, crustam minus densam habuit; tertius vero sanguis, qui intra alterum diem extractus est, crustae expers erat : si quoque arteriarum pulsus initio tertii diei (id est post quadraginta et octo horas) plenus et mollis evenit et talis manet,

ali-

aliquid boni sperandum est: resolutio nempe febrilis materiae. Tunc enim a medio die tertio (id est, post horas a morbi principio circiter sexaginta) largus sudor acidus ex universo corpore erumpit, atque ad exitum istius diei fluere continuat; post eundemque urina turbida evenit, et multum sedimentum lateri trito simile praecipitat.

Ista crisis item perfecta est, neque aliam post se intra convalescentiam relinquit; propterea quod nulla sanguini crusta post ultimam missionem supererat.

Istum cum huius tum illius Pleuritidis brevem exitum supra capite secundo per exempla posui. Hunc vix illi medici vident, qui venae sectiones praecipitant, atque protinus iusto plus sanguinis eximunt. Per quam sanguinis eximunt iacturam naturam debilitant, eandemque imparem efficiunt, talem crisin perficiendo.

Si sanguis, qui primo die primus missus est, sive crustam habuerit, sive non habuerit; sed si eandem alter, qui secunda vice eodem die missus est, habeat; et, si tertius, qui intra secundum diem missus est, crustam habeat; si deinde ad initium tertii diei (id est post quadraginta et octo horas) pulsus plenus et mollis evenit, et undulans; liberalis Expectoratio ad exitum tertii diei aut ad initium quarti diei (id est post septuaginta duas horas) expectanda est; et fit.

Ubi id obtinet, iulapium ex aquae scabiosae unciis sex, nitri drachma, et oxymellis squillitici uncia praebeo; iubeoque ut aeger ex

eo

eo cochlearia duo unaquaque hora assumat : decocto item refrigeranti oxymellis squillitici unciam adiicio : scilicet ut his sputum, quod exiturum est, promoveam.

Haec vera signa sunt, quae sputum praenuntiant et nobis indicant, quo tempore idem arte iuvari debeat. Iste morbi exitus item rarus est, eundemque populares medici vix vident, propterea quod nimia sanguinis missione naturam, quae ante coquere deberet, frangunt atque debilitant, eandemque ineptam ad coquendum reddunt. Ideo vane sputi exitum moliuntur, quoniam protinus talia praebent; quae tussim movere, sputumque (utique quod nondum coctum est) vi extundere debeant. Illud saepe non succedit: sive quod nimium debilis reddita natura fuerit; sive potissimum, quoniam febris, cui mederi nesciunt, pertinaciter subsistit, quae ipsa, ut supra demonstravi, sputa necquicquam coquit; sed eadem contra, quemadmodum alias quaspiam excretiones, intus retinet.

Triste, aiunt, praesagium est, si sputum coctum ante finem quarti diei (id est ante nonaginta et sex horas) non eiiciatur. Metuendus enim sinister morbi sive in suppurationem sive in gangraenam exitus est. Debet igitur medicus, si artifex est, ad initium tertii diei (nempe proxime post quadraginta et octo horas) nosse, sputumne coctum ante finem quarti diei exiturum sit, nec ne: scilicet ut quantocius ea auxilia adhibere possit, quae cavere et suppurationem et gangraenam tuto possint. In qua notitia alter curationis meae cardo vertitur, veluti nunc dicam. Sci-

Scilicet, si ad id temporis pulsus non plenus, non mollis, veluti qui resolutionem praenuntiaret, evenit; si idem non plenus, non mollis, non undulans est, nempe quem proxime sputum sequitur; si eruptiones ad labia non incipiunt; contra si pulsus frequens, durus, irritatus, veluti qualis in ipso fere morbi principio fuerat, hucusque perstat, quoniam is cruditatem morbi significat, indicio est, sputum coctum nullum ante finem quarti diei exiturum esse.

In tali morbi statu emplastrum vesicatorium latum ad affectum latus applico: scilicet ut inflammationis focum, id est febris materiam (spinam) loco moveam. Si media sub mulieris mamma dolor est, emplastrum infra mammam pono. Si curta mulier est, et magnas mammas habet, adeo ut latere locus non pateat, vesicatorium inter scapulas pono. Possent etiam ob eandem rationem cucurbitulae affecto lateri applicari, quae febris focum dimoveant *a*). Mixturam praesto ex aquae scabio-

---

a) » Tunc cucurbita iisdem locis cum scarrificatione adhibenda, sed demissionis tempore ----. Leves autem quas κούφας appellamus, etiam in accessione adhibere possumus, et frequentes, atque multis partibus ---. Themison iubet etiam cum scarrificatione adhiberi cucurbitam declinante accessione, cum sit adiutorii genus destrictivum, et propterea proprium dimissionis ». Caelius Aurelianus acut. morb. Lib II. Cap. 29.

Cucurbitulas cum scarrificatione post septimum diem probat Aretaeus Lib. I. de acut. morb. curat. Cap. 10. » Remedium vero est magni et recentis doloris, sanguis missus. At, sive levior, sive vetustior casus est, vel supervacuum, vel serum id auxilium est; confugiendumque ad cucurbitulas est; ante summa cute incisa. Recte etiam sinapi ex aceto super pectus imponitur, donec ulcera pustulasque excitet ». A. C. Celsus Lib IV. Cap. 6. de lateris doloribus.

biosae unciis sex, nitri drachma, extracti corticis peruviani drachmis tribus, oxymellis squillitici uncia: iubeoque ut aeger ex ea per unamquamque horam cochlearia duo assumat: sic ut intra quenquem diem per viginti quatuor horas extracti corticis drachmas circiter sex accipiat. Decoctum refrigerans adiecto aceto vini destillato, et syrupo rubi idaei, ut supra posui, impero; diaetam item.

His ita ordinatis et continuo assumtis, a medio diei quinti (id est, post horas centum et octo) plurimus sudor acidus ex universa corporis cute erumpit, atque ad finem usque eiusdem diei fluere continuat. Urina quae proxima circiter ad finem eiusdem diei emittitur, crassa est, turbidaque fit, et multum sedimentum lateri trito simile deponit: simul et dolor latus dimittit, pulsus mollis et explicatus est, et aeger libere spirat: item somnus est.

Per sextum diem et per septimi dimidiam primam partem aeger simili sudore madet; verum non ita multum, ut ante, exsudat. Urina item similiter turbida est, simileque sedimentum praecipitat: rarum est, sexto die urinam pellucidam esse; et, si est, nubeculam ea habet, et bonae notae est. Nunc quoniam somnus est, vigilanti mixturam praebeo, dormienti non: sic ut intra viginti quatuor horas extracti corticis drachmas tres accipiat.

At a medio die septimo (id est, post horas centum quinquaginta et sex) plurimus item talis sudor erumpit, atque ad finem eiusdem diei usque liberaliter effluere conti-

nu-

nuat *a*). Sequitur circiter ad finem eiusdem diei urina crassa, turbida, quae item sedimentum lateri trito simile praecipitat *b*).

Atque nunc aeger per istas crises imparibus diebus, perfecte sanus evasit, sine sputo et absque suppurationis gangraenaeve periculo.

Ista crisis Pleuritidi propria et naturae operanti consentanea est. Hanc ipsa natura, dummodo ei recte succurritur, mollitur et exequitur; veluti superiore capite secundo exempla posui eorum, qui ita evenerunt, nullis nisi refrigerantibus auxiliis adiuti et absque corticis peruviani subsidio. Tali medendi ratione, non alia, a longis hucusque annis semper, etiam in desperatis fere casibus, cum successu usus sum. Caeterae curationes violentae atque a morbi genio alienae sunt.

Si-

---

a) » Sudor optimus quidem eſt, qui febrim in die iudicationis » solvit, commodius autem eſt et qui levat ». Hipp. Coac. » praenot. Sect. III. Nro 237. Sudores enim optimi sunt, » et celerrime febrem sedant, qui in iudicatoriis diebus fi- » unt, et febrem perfecte summovent. Boni quoque sunt, » qui per totum corpus fientes, morbum facilius ferre faci- » unt. Qui vero nihil horum faciunt, incommodi sunt ». » Lib. de Iudicat. vers. I. et praenot. Nro 10. Sudores fe- » bricitanti ſi fiant 3. 5. 7. 9. 11. 14. 21. et 31. Hi sudo- » res morbos iudicant. Qui vero non ſic fiunt, dolores ſi- » gnificant ». Ibidem vers. 4. et aphor. 36. Sect. IV.

b) » Cloacho lateris dolor, et febris. Remiſit febris, sudavit » per totum corpus. In urina multa erant, quae ferebantur, ac innatabant, poſtea turbata eſt ». De Morb. po- » pul. Lib. VII. Sect. I. vers. 21. At (Urina) subrubra, » et subſidentiam subrubram habens et levem, ſiquidem an- » te septimum diem prodeat, septima die liberat ». Coac. praenot. Sect. III. Nro 245. » In pleuriticis urina surbru- » bram habens levem subſtantiam, securam iudicationem ſi- » gnificat ». Ibidem 290.

Si infantes, quos neque movere ratio neque persuadere verba possunt, Pleuritide laborant, his suavem quenquem syrupum offero, cui extracti corticis peruviani tantumdem ammisceo, quantum habita ratione ad adultorum aetatem sufficit. Ita sanatae sunt nobiles puellae *.

Ita potest unusquisque medicus, qui tali medendi methodo utitur, certo praedicere, eum, qui ad exitum quinti diei ita sudavit, et talem urinam accepit, similiter eundem et sudorem eandemque urinam ad exitum septimi diei habiturum esse, et tunc integre sanum fore. Hoc enim faticinium isteque morbi exitus non fallit, si aeger ante sanus nec alio quopiam antiquo morbo vitiatus fuerat.

Sed est alia adhuc quaedam crisis, quam Pleuritis cum caeteris febribus communem habet; rara quidem et infreqnens: regius nempe morbus, quem Icterum vocant. Isque fit, ubi pleuriticae febris materia ad hepar transfertur *a*).

AEGROTUS XXXIX. Anno 1776. mense Junio servus sellarius, iuvenis et qui infirmum pectus habebat, Pleuritide in dextro latere correptus est. Secta eius vena praestitumque decoctum refrigerans atque iulapium est: secta item vena, simul et ad affectum latus applicatum emplastrum vesicatorium est. Tertio die Extractum corticis peruviani iulapio adieci: magnus enim erat calor flammeus metusque Gangraenae. Repetitae in diem septimum usque venae sectiones, at parvae, sunt. Die

* Aegrotus XXIV.

a) » Morbus regius fit aliquando criticus, id est, iudicato- » rie »: Galenus in 4to Lib. Aphor. aph. 62.

Die octavo dolor latus omnino dimisit, isque nunc vehemens in hepatis regione ortus est cum intento calore. Quare item sanguinis discum unum extraxi.

Ad exitum noni diei arteriarum pulsus mollis evenit, deinde plenus, aegerque convaluit absque sputo. Intra convalescentiam vero orti magni abscessus sunt, cum quo loco Vesicatorii plaga ante fuerat, tum e directo in dorso: etiam circum hepatis regionem. Qui omnes abscessus scalpello incisi sunt.

Istius aegri febris die nono iudicata est. Crusta intra convalescentiam cocta est; abscessit post.

Anno 1773. die 28. Junii cantor in latere dextro Pleuritide correptus est. Eius pulsus brevis et concitatus erat. Ut adveni vesperi, sanguinis uncias circiter decem e vena misi. Is crustam albam lerdaceam habuit. Postero die mane tantundem sanguinis extraxi, qui similem crustam habuit. Vesperi sanguinis uncias circiter octo. Iulapium decoctumque refrigerans atque victum tenuem imperavi: enema vesperi. AEGROTUS XL.

Initio tertii diei (id est, proxime post horas quadraginta octo) pulsus parvus et frequens erat, qui necquicquam significabat, quod sputum ante exitum quarti diei coctum futurum sit. Ob quam causam emplastrum vesicatorium latum affectae plagae imposui, et iulapio drachmas tres extracti corticis peruviani adieci. Urina clara erat cum nubecula.

Ad exitum quinti diei sudor erupit quidem, verum urina ipsa non turbata ert (non

erat

erat crisis completa). Ideo praedixi, quod septimo die nulla crisis per eruptionem, sed per metastasin furura sit; cuius quidem locum, in quo materia subsessura sit, nondum scirem. Interea pulsus post istum sudorem fortior evenit.

Etiam septimo die neque sudor erupit, neque turbida facta urina est; sed contra, pulsus brevis et concitatus devenit, intumuit abdomen veluti tympaniticum, quod percussum resonabat: respiratio densa evenit, dolebat aeger e regione hepatis, inquietus erat, calore exarsit. Urina bile tincta erat; similiter cutis aliquantum. Utique crisis per metastasin fausto die septimo *a*).

Ex huius vena sanguinis uncias sex, et post tres horas tantundem extraxi; uterque pelle mucosa flava tinctus erat. Emplastrum vesicatorium latum inter scapulas positum est, et inditum omni trihorio enema ex seri lactis libra, nitri drachma, et mellis uncia.

Die undecimo (impari) collapsus ventris tumor est, multusque mucus coctus alvo secessit, et aegrum die decimo quarto (critico Hippocrati celebri) ad integritatem perduxit.

Post octo dies homo in febrim intermittentem quotidianam incidit, iutraque eandem multum muci cocti infra emisit; cumque sic alvus

---

a) » Quibus in febribus morbus regius fit ante septimum diem, » malum ». Hipp. aph. Lib. Sect. IV. aph. 62. » Quibus in » febribus morbus regius septima aut nona aut decima quar» ta accedit, bonum, si non praecordium dextrum durum » fiat, sin minus, non bonum ». Ibidem aphor. 64.

alvus pura evenisset, febris aegrum post septem accessiones (numero item impares) dimisit. Erat profecto iste mucus a crusta sanguinis per convalescentiam, cum vires icterum inter et febrim satis constitissent, coctus atque ad intestina delatus.

Anno 1784. die 15. Februarii mulier pleuritide vera affecta est. Accessit quarto die aurigo. Iudicata est aegra die septimo, et die nono per sudorem et per urinam, quae sedimentum lateri trito simile praecipitavit. AEGROTUS XLI.

Anno 1783. die 27. Aprilis servus 60. annorum Pleuritide vera affectus erumnose habuit. Sexto die Ictero male tinctus est, sine levamine. Iudicatus est septimo die per sudorem et per urinam quae sedimentum lateri trito simile praecipitavit *a*). AEGROTUS XLII.

Omnium maxime rarus Pleuritis exitus per parotidem, perve urinam puriformem est. Utrumque intra triginta octo annos semel vidi.

Anno 1749. die 27. Decembris mulier 50. annorum Pleuritide vera tentata est, intra quam etiam cum adhibitis iis auxiliis, quibus medici tunc temporis uti consueverant, exitiose habuit.

Erupit undecimo die (impari) iuxta auriculam dextram tumor cum dolore, simul et imminuta caetera mala sunt. Impositum cataplasma suppurans est, sub quo factum pus est. Extracto per incisionem pure aegra prospere habuit. AEGROTUS XLIII.

 An-

a) » Quibus in febribus morbus regius fit ante septimum diem, » malum » Hipp. ibidem.

AEGROTUS XLIV. Anno 1749. die 6. Martii faber tignarius incidit in Pleuritidem. Secta vena est, adhibitaque medicamenta refrigerantia, et fomenta emollientia sunt, imperatus item victus tenuis est.

Medio die tertio dolor latus dimisit, aegerque, etsi absque sputo, melius habuit.

Quarto die incepit urina turbida, crassa, alba, et pinguis fieri, quam aeger cum dolore emisit, et quae multum puriforme sedimentum deposuit. Ob quam rem fomenta renibus atque pubi imposui, decoctumque diureticum potui dedi. Cum multa tali urina aeger quinto et septimo die bene habuit. Octavo ad suum opificium sanus reversus est.

Atque nunc mea Pleuritidi verae medendi ratio exposita est; cita, tuta atque facilis; quae semper succedit, et nunquam fallit, quotiescunque morbus sanum corpus prehendit.

His etsi ita demonstratis tamen insuper non inutile erit, ad confirmandam veritatem unicum exemplum adduxisse; per quod vitia usitatae curationis praestanti nostrae medicationi invicem opponantur; scilicet ut eo magis veritas elucescat. Ad id proximum exemplum sufficiat.

AEGROTUS XLV. Anno 1765. initio veris iuvenem viginti trium annorum Pleuritis subito prehendit. Erat ei ingens calor et acutus in latere quartam inter et quintam costam dolor, qui spiritum praecepit et tussim excitavit, quae nihil nisi tenax sputum cum labore traxit, striis cruentis nonnunquam interstinctum: arteriarum pulsus frequens et celer erat.

Huic

Huic tantum sanguinis per plures dies e vena missum est, quantum per vires licuit; omnis cruor tenui alba crusta tectus erat. Praestita iulapia refrigerantia sunt, et potus ex mollibus herbis in aqua coctis, adiecto multo nitro ex oxymelle: imposita supra affectum latus fomenta emollientia sunt: cibus tenuis datus est ex sorbitionibus.

Mansit acutus in latere dolor, et frequens arteriarum pulsus, et spiritus difficilis, et nihil ultra sputi evenit, et urina flammea. Applicata igitur sunt emplastra vesicatoria lata, latissimum supra affectum locum.

Accessit circa octavum diem delirium, quod magis noctu quam interdiu continuavit.

Mutata curandi ratione modoque isti aegro Extractum corticis peruviani praestiti, suo adiectum iulapio. Inde calor inclinavit, urina citrea evenit, et post aliquot dies dilirium desiit, postea pulsus aliquantum mollis et plenus factus est. Deinde quo plus corticis aeger assumsit eo magis imminutus in latere dolor est, et spiritus liberior evenit. Postremo cutis sudore immaduit et urina turbida evenit cum sedimento lateri trito simili: accessit somnus; et post tres septimanas, cum aeger multum corticis assumsisset, reversa bona valetudo est absque sputi sive coctione sive excreatione; contra ac Hippocrates metuebat *a*).

Nunc ad Pleuritidem venio, quae in vitiatum corporis habitum incidit.

Anno 1771. sternuus et veteranus genero- AEGROTUS XLVI.

 si

(*a*) » Quicunque pleuritici fientes in quatuordecim diebus non » repurgantur, his ad suppurationem transitio fit ». Lib. » Aphor. Sect. V. Aphor. 8.

si vini potator et mali corporis habitus, postremo hydropicus evenit. Erat ei aqua in pectoris cavitate, in abdomine plus quam viginti librae aquae, aqua etiam multa inter cutim, cum maximo a planta pedum ad ventrem usque tumore: arteriarum pulsus parvus et inaequalis erat, urina crassa, rubra, sordida, vix trium unciarum per viginti quatuor horas: peiores noctes quam dies erant: aeger saepe anxietatibus agitabatur et veluti strangulatus spiritum cum labore duxit. Ita per diversa medicamenta quatuor menses traxit.

Adhibita squilla omnem fere aquam intra duos menses per lotium expulit. Iste aeger ita debilis cum convalescere coepisset, et aquae quidquam inter cutim remansisset, Pleuritide, quae ea tempestate popularis erat, correptus est.

Primo istius morbi die sanguinis discum unum misi; nam plus mittere vires, veluti pulsus indicabat, non concedebant. Iulapium dedi et decoctum refrigerans quale caeteris aegris. Altero die sanguinis iterum discum unum extraxi, isque mucosus et pelle indutus erat. At quoniam ad exitum secundi diei pulsus, ut ante, debilis mansit, superiori iulapio Extracti corticis peruviani drachmas tres adieci. Inde urina quae crassa sordidaque hucusque fuerat, nunc quarto die pellucida evenit cum nubecula. A medio diei quinti ad eius finem usque multus sudor acidus ex universa cute erupit, secuta urina turbida est cum sedimento lateri trito simili. A medio die septimo similis sudor, similisque urina: aegerque absque spu-

to

to nunc bene sanus factus est, et hodiedum prospere valet.

Anno 1769. die 25. Martii, quo tempore Pleuritis popularis erat, mulier macra, quae habitum corporis oculosque tales habebat, quales hi habere consuescunt, qui phthysici futuri sunt, suam prolem per annum lactavetat. Post ablactionem orta tussis sicca est, quae quatuor septimanas traxit. Cum ista tussi mediam intra tempestatem frigidam mulier navim ascendit, adverso Rheno fluvio Moguntiam itura. AEGROTUS XLVII.

Advena acerbe tussit; tussim secutus dolor pectoris est, qui in latere fixit se; sicque confirmata vera Pleuritis est.

Sanguis ter e vena missus tenacem crustam habuit. Vesicatorium affecto lateri impositum, adiectum iulapio Extractum corticis peruviani est. Secutae alvi sedes putridae sunt.

Urina, quae hucusque tenuis erat, nunc recto tempore turbida evenit, et sedimeutum lateri trito simile praecipitavit, erupit etiam multus sudor acidus pinguis. Omnisque cum antiqua, tum nova tussis, dolor item atque totus morbus absque sputi excreatione desiit. Sic quoque pleuritica febris, ut quaepiam alia, etiam vetustis mali mederi potest.

Anno 1767. initio mensis Junii mulier 73. annos nata, gibberosa, et quae a longis hucusque annis vitiosi corporis habitus erat, saepe anhela, cum oedematosis pedibus, subito Pleuritide correpta est. Initio frigus erat, magna corporis fatigatio, angustus spiritus, acutus in dextro latere inter veras costas dolor, AEGROTUS XLVIII.

tussis simul arida. Finito frigore ortus vehemens calor est, sitis ingens, factae aridae fauces sunt, respiratio praecepta, tussis urgens, dolor intensus. Praeter haec universa corporis cutis aurigine tincta est, quasi insuper ab inflammato hepate. Arteriarum pulsus parvus, frequens et celer erat. Tussis nihil emollita est, totumque corpus vehementer lassum erat.

Missae ex huius vena sanguinis unciae circiter duodecim sunt, crustam albam habentes. Imposita affecto lateri fomenta sunt, praestitum iulapium refrigerans est; decoctum refrigerans potui erat; cibo sorbitiones. Extractus item vesperi sanguis ad uncias circiter decem est; isque magis densam crustam habuit; postero die tantundem; rursum vesperi unciae quinque; sanguis item tenacem crustam habebat.

Inde liberior facta respirato ipseque pulsus aliquantum explicatus est; tussis item, etsi difficilis, tamen sputum, utique crudum, tenax, ruffum, trahens, emolita est.

Tertio die (propterea quod pulsus nullam coctionem fore significabat) superiori iulapio Extractum Corticis peruviani adieci, sic ut eius drachmae sex intra viginti quatuor horas consumerentur. Emplastra item vesicatoria tria imposui, latissimum vero affectae parti.

His minutus dolor compositaque acerba tussis est; utrimque die quinto requies erat, attamen vigiliae supererant, et amplius tincta colore flavo cutis est.

Die septimo sudor acidus erupit, qui spiritum liberum effecit, et omnem e latere dolorem excussit. At

At vesperi reversa febris est; intraque eandem genae intense rubebant; maxime vero dextra gena, quae et profundius rubebat, et magis quam sinistra exardebat; scilicet ob id quod vitium in dextra hepatis parte residebat. Intra istam febrim per proximum diem delirium erat: noctu vero requies.

Ob quam causam aegrae inditum enema ex sero lactis, nitro, atque melle est; quod plurima putrida et mucosa subtraxit.

Ortum nono die putridum alvi profluvium est multa mucosa trahens: quod et febrim et flavum cutis colorem delevit.

Cumque imposterum aegra per enemata perque leves alvi purgationes omnia putrida deposuisset, omnino convaluit.

Huius iudicationes omnes imparibus diebus contigerunt.

Virgo 63. annorum ob inveteratam Arthritidem contracta crura, brachia, manusque habebat, cum nodosis articulis; sicque omni motu orba, quinque hucusque annis lecto affixa erat. Immobile corpus factum malesani habitus est; ipsumque foco, clausisque fenestris portaque a custodibus fovebatur. Nihilominus inclusam istam aegram Pleuritis vera anno 1781. die 18. Novembris perinde ac sanum quenquem corripuit. Acutus dolor fixus in dextro latere sextam inter et septimam costam erat; horror ante, calor post: respiratio angusta, tussis acerba, quae sputa cruda, ruffa emolita est; pulsus frequens contractusque. AEGROTUS XLIX.

Protinus sanguinem e vena brachii ipsius lateris, in quo dolor pressit, misi ad discum

unum, tantundem vesperi. Postero die item non plus disco, qui densam crustam habebat: nil ultra missum est, vires sustinendi causa. Imperatus victus tenuis est, datus refrigerans potus, et oblata mixtura cum extracto corticis peruviani est.

Ad exitum quinti diei multus acidi odoris sudor erupit: urina sedimentum lateri trito simile praecipitavit. Die septimo similiter: hisque Pleuritis finem habuit.

Peior morbus est, quoties Pleuritis, veluti non raro contingit, cum putrida in imo ventre saburra convenit: accensa enim per pleuritidis febrim tali putrilagine febris putrida fit, quae ipsa pleuritidem malignam efficit. Pessimum est, si ista morborum complicatio in vitiatum corporis habitum incidit. Hic duo huius generis exempla sufficiant.

Aegrotus L.

Anno 1768. die 23. Junii vetula 74. annos nata, gibberosa, anhela, quae a longis hucusque annis vitiati corporis habitus erat, cum oedematosis pedibus, et superiore anno, veluti paulo ante memoravi, * in dextro latere pleuritidem cum hepatis inflammatione passa erat, nunc eodem morbo in sinistro latere quintam inter et sextam costam affecta est. Erat ei spiritus difficilis, tussis acerba et praecepta, calor, sitis, febris non nimium, arteriarum pulsus parvus et frequens.

Ex huius vena non multum sanguinem trahi iussi; vesperi item, cum ita per vires licuisset; isque crustam habuit: altero die item san-

* Aegrotus XLVIII.

sanguinem qui similiter crustam habuit. Isti aegrae eadem auxilia, quae caeteris aegris, adhibita sunt.

Tertio die intentae arteriae sunt earundemque pulsus convulsivus erat, ex quo novi, quarto die sputum coctum non fore. Quare emplastra vesicatoria tria applicavi, et superiori iulapio extracti corticis peruviani semunciam adieci.

Intentus calor est; ortae sunt inquietudines, genae factae rubrae sunt, cutis ardens, vigiliae erant, atque subdeliria. Accessit quinto die putridum alvi profluvium, iactationes et corporis denudationes.

Septimo die multus sudor viscidus et olens erupit, atque urina turbida evenit, et aegra perfecte convaluit. Superato morbo mulier multum muci e naribus emunxit, talemque screando eiecit, qui salsum saporem habebat.

Post, cum vires satis constitissent, secutae sunt alvi sedes meracae putridae, quae multum muci excusserunt.

Anno 1769. die 22. Januarii Virgo supra 42. annos nata, a parentibus malesanis genita, ipsa a primis fere cunabulis cachectica, post ex fluxionibus surda facta et dentibus per cariem orba, per longos annos cum aegro pectore tussiculosa, et quae saepe multum sanguinem sputo eiecerat: ista incidit in veram pleuritidem. AEGROTUS LI.

Protinus e vena missus sanguis floridus erat, alter crustam habuit, tertius crustae plus, quartus plurimum.

Ar-

Arteriarum pulsus frequens et celer erat, cutis calor ardens, spiritus difficilis, tussis arida.

Applicata sunt quatuor emplastra vesicatoria lata, latissimum vero supra affectum locum. Datus est potus refrigerans; iulapium item cum extracti corticis peruviani semuncia et plus, quotidie ab ipso morbi initio ad eius exitum usque.

Erat calor summus, genae rubrae, deliriumque, maxime cum invesperasceret.

Nono die calor remisit, pulsus mollis evenit, alvus semel laxa putrida, tussis humida quandoque sputum non coctum trahens, spiritus liberalior absque sputo cocto, insudationes nonnumquam, somnus trium horarum, mens recta. Per noctem a nono in decimum usque diem sudor largus. Alvi putrida deiectio bis.

Idem sudor per decimum diem continuavit; intraque eundem alvus ter liquida putridaque: nox tranquilla erat. Mane ad diem undecimum alvus similiter semel laxa; aegraque nunc optime habuit. Imposterum per convalescentiam caetera putrida infra secesserunt.

In tali morborum conventu cortex peruvianus, ut alia quaevis amara, putrida quae in intestinis resident, movet atque leniter expellit, maximeque si adiectum eidem oxymel squilliticum est.

A pleuritide ad peripneumoniam transeo, de qua item, ut superiore capite quarto dixi, inter medicos disceptatum est; inter quos alii pleuritidem ob inflammatam pleuram esse volunt, peripneumoniam vero ob inflammatum

pul-

pulmonem: alii ob pulmonis inflammationem pleuritidem esse contendunt: qui inter hos medium tenuere, pleuropneumoniam appellare morbum malunt. Hippocrates ipse modo pleuritidem ut privatum morbum habuit *a*); modo eandem perinde ac peripneumoniam habuit *b*). Cäelius Aurelianus utrique morbo unam eandemque causam tribuit *c*). Petrus Servius Romae in trecentis pleuriticis, post mortem dissectis, semper lobum pulmonis infectum, materiaque repletum conspexit, pleura aut nihil omnino ad sensum vitiata, aut leviter tantum quodammodo inquinata *d*). Ego nonnisi unius ob pleuritidem mortuae mulieris incisum cadaver vidi, cuius pulmo sphaceli stygma habebat, pleura vero necquicquam affecta erat. Sed omne dubium controversiamque tollunt experimenta Valsalvae, Morgagni, et multorum aliorum; quae demonstrant, pleuritidem non a pleurae sed a pulmonis inflammatione esse *e*).

An-

---

a) » Ex pleuritide peripneumonia malum ». Sect. VII. aph. » 11. Ex peripneumonia pleuritis malum ». Aphor. 12.

b) » ---- Liberationem a morbo significat lingua, similiter velut in pleuritide ». Lib. de diebus iudicatoriis §. 8. de peripneumonia.

c) » Perficiunt hanc passionem causae quae etiam pleuriticam » faciunt ----. Nam frequentius antecedente pleuritica, » peripneumonia sequetur ----. Hanc igitur definiens passionem Demetrius Herophilus libro duodecimo de passionibus, peripneumonia, inquit, est tumor in toto pulmonis » corpore, ex parte enim si fuerit, pleuritis dicitur ». Acut. mor. Lib. II. cap. 25. de peripneumonia ». At enim » omnem inquit Pulmonem pati Herophilus. Si vero febrim, inquit, fuerint passi, pleuriticam facit ». Ibidem cap. 28. » Item Praxagoras eandem pleuriticorum atque peripneumonicorum tradidit curationem ». Ibidem.

d] F. Hoffmann Med. ration. Tom. IV. P. I. Sect. II. Cap. VI. §. 2.

e] Ioan Bapt. Morgagni de sedib. et caus. Morb. Lib. II. Epist. 20. et 21.

Aegrotus LII.

Anno 1767. die 5. Februarii vir annorum 39. febre affici coepit cum spirandi difficultate, tussi, atque angustiis. Huius vena, iubente suo medico, bis secta est, indita quoque enemata refrigerantia sunt.

Istum aegrum cum altero die accepissem, maxime talem habui: erat eius febris summa; spiritus laboriosus, tussis vexans, et arida; cutis ardens, pulsus frequens et celer, urina rubra, angustiae, vigiliae, iactationes: et, siquid aeger sputo emolitus est, idem tenax, ruffum, cruentum erat. Inflammatus pulmo erat.

Huius venam protinus hoc die secari, et iterum vesperi iussi: sanguis crustam habuit: Iulapium refrigerans cum nitro et oxymelle praestiti; potum item refrigerantem atque sorbitiones. Metuendus autem ideo malus istius morbi exitus erat; cum quoniam aeger olim plurimum sanguinem sputo eiecerat, tum quoniam idem olim costas a percussione fractas habebat.

Erat eius febris continens, quae vesperi vehementer exacerbata est. Ob quam causam die tertio secta item, quinta vice, vena est; extractusque ex ea sanguis tenax, glutinosus, non consistens erat.

Intra istum tertium diem arteriarum pulsus neque mollis neque undulans erat; ob quam notam praescivi, quod ante finem quarti diei sputum coctum non extiturum sit; ideoque vel septimo vel decimo die metuendam gangraenam esse. Ob quam causam Extractum corticis peruviani superiori iulapio adieci.

Ac-

Acccssit quarto die (pari nempe et recidivis obnoxio) acutus in latus sinistrum dolor pleuriticus, a quarta costa vera ad infimam usque *a*). Quare quatuor emplastra vesicatoria lata brachiis atque cruribus, quintum vero latissimum affecto lateri imponi iussi. Secutum plus quidem sputi est; at idem tenax, ruffum, sanguinolentum mansit.

Die quinto omnia, ut supra, mala. Accessit noctu leve quoddam delirium. Sexto aliqua Exanthemata iuxta oris labia eruperunt, Mansit continuus calor; angustiae, vigiliae, urina flammea. Erant enim istae mutationes paribus diebus, quarto nempe et sexto.

Septimo die cutis sudore aliquantum immaduit. At noctu largus sudor plurimaque simul urina, quae rubrum colorem amisit, erupit. Plurimumque nunc ex febre et ex sputi vexa minutum est (prima pars perfectae criseos die impari).

Octavo die et idem sudor et eadem urina continuaverunt, minutum sputum est, respiratio liberior evenit, accessit somnus. Denique die nono urina turbida evenit, et sedimentum lateri trito simile praecipitavit; aegerque convaluit sine sputi sive coctione sive excreatione (die nono, item impari, completa est crisis).

Anno 1783. die 17. Februarii vir 60. annorum Peripneumonia vera correptus est. Missus e vena sanguis crustam crassam, densam, viridemque habuit. AEGROTUS LIII.

Po-

a] » Ex peripneumonia pleuritis, malum «. Hipp. Sect. VII. aphor. 12.

Positum inter scapulas largum vesicatorium est; datus potus refrigerans est, iulapiumque, cui adiectae Extracti corticis peruviani drachmae tres sunt.

Tussis absque sputo erat. Medio die quinto largus sudor erupit, proximeque post urina turbida evenit, et sedimentum lateri trito simile praecipitavit. Nunc aeger tussis expers die sexto, etsi non multum, tamen sudavit, et similem urinam emisit. At septimo die iterum plurimum sudavit, urinamque crassam minxit, quae sedimentum lateri trito simile deposuit. Proxime cum bona valetudine.

Ut Pleuritidis in Peripneumoniam ita Peripneumoniae in Pleuritidem transitus fieri potest.

Anno 1784. medio mense Februario vir robustus 36. annos natus Catarrho affectus est; quem nihili habuit. Ex catarrho facta Peripneumonia est. Sanguinem e vena misit. Altero Peripneumonia in Pleuritidem veram transiit. Extractum Corticis peruviani sumsit. Tertio die insudavit, et urinam emisit, quae turbida facta sedimentum lateri trito simile praecipitavit, simul et exulcerata oris labia sunt, nasusque: sic aeger quamproxime convaluit.

AEGROTUS LIV. His consideratis ad credendum persuadeor; esse pleuritidem peripneumoniamque unum eundemque morbum et unam utrosque causam habere: Nempe Peripneumoniam esse, ubi profunda pulmonum inflammatio citra acutum dolorem est; pleuritidem vero, si exterior pulmonis portio cum succingente sua membra-

na,

na, a qua ipsa acutus dolor venit, inflammata sit. Ob quam rationem atque similitudinem utrique morbo, ut Praxagoras voluit, eodem modo occurro. Simile exemplum proximo capite obveniet.

CAPUT VI.

De Crisi, quae intra Convalescentiam fit.

Excussa pleuritide secretiones atque excretiones, quas febris ante retinuerat, nunc iterum liberaliter perficiuntur. Ita phlegmaticus vir *, de quo superiore capite quarto dixi, sputa quae intra sanitatem eiicere consueverat, et quae pleuritis superveniens cohibuerat, deinde superata febre iterum ut ante eiecit. Ita monialis virgo ** sputa cocta catarrhi, quae pleuritis, cum incidisset, cohibuerat, eadem post istum morbum denuo reiecit. Ita *** phthysicorum purulenta expectoratio, quam pleuritica febris retinuerat, iterum post submotam pleuritidem liberalis evenit. Similiter nutricis **** lac, quod pleuritis, quae incidit suppresserat, denuo intra convalescentiam revenit, quo suam prolem imposterum nutrivit. Ob eandem causam iuvenis mulieris lochia intra pleuritidem

---

* Aegrotus XXVI.
** Aegrotus XXVII.
*** Aegrotus XXVIII. & XXIX.
**** Aegrotus XXX.

dem tamdiu retenta fuerunt, usque dum pleuritis ipsa finem habuerat: excussa vero pleuritide Lochia, quemadmodum a recenti partu, eruperunt. Ita aquae quae per morbum intus retentae fuere, deinde, cum sanitas consistere incipit, iterum exitum per urinam sumunt. Similiter sanguinis serum, quod per pleuriticae febris aestum in tenacem crustam compactum erat, imposterum intra convalescentiam atteritur, coquitur, atque spuendo eiicitur; aut tardius per abscessus, furunculos nempe, vel per bubones excernitur; aut postremo per alvum excutitur. Verumque est, quod olim Hippocrates dixit, crisin, ut sit perfecta, debere esse universalem: non ut ea ex universo corpore, veluti sudor, protinus omnis erumpat; sed ut imposterum omnes humores, qui per morbum intus retenti fuere, intra convalescentiam trans eas vias tanquam per conferentes exitus eliminentur, trans quas iidem intra bonam valetudinem secundum naturam exire consueverant.

Incipiam a crustae exitu per sputum coctum, propterea quod in ista evacuatione Medicorum et disputationis et theoriae et curationis cardo hucusque male vertebatur: scilicet a qua notitia aegrorum et salus et pernicies dependet.

Itaque, quod ante omnia nosse interest et satis superque a me supra demonstratum est, Pleuritis non ob sanguinis crustam est; sed contra, crusta ipsa per febris ardorem ut in caeteris inflammationibus, ita intra pleuritidem fit. Ista crusta post morbum per convale-

lescentiam, intra quam vires magis quam intra morbum consistunt, coquitur atque expellitur per diversos corporis exitus, per quos eadem post alios quosque inflammatorios morbos eliminari consuescit.

Et primo quidem per sputum crusta cocta expellitur. Id celebre iuvenis fabri ferrarii exemplum, quod supra capite quarto posui, prae ceteris satis superque demonstrat. Huius enim sanguis qui septima vice initio septimi diei missus est, crustam et magis densam et magis tenacem habuit, quam qui ante extractus erat. A medio septimi diei sudor multus acidus erupit, et ad exitum eiusdem diei urina turbida evenit, quae sedimentum lateri trito simile deposuit. Iste sudor et ista urina febris crisis erant, et protinus arteriarum pulsus et mollis evenit. Imposterum per vires intra convalescentiam cocta crusta est, eademque die decimo tertio ut cera alba semiliquefacta sputo eiecta est.

Simili exemplo ibidem monachus est; qui undecimo die per sudorem iudicatus est, et deinde sputa cocta eiecit.

Anno 1766. mense Novembri mulier 60. annorum pleuritide affecta est, et male habuit. AEGROTUS LV.

In huius cubito adversae partis secta vena, ex eademque tantum sanguinis missum est, quantum vires concedebant: praestitum item iulapium refrigerans cum nitro et oxymelle est, decoctum etiam ex mollibus herbis; victus quoque tenuis. Imposita affecto lateri fomenta emollientia sunt.

His nihil, nisi tenax mucus, tussiendo extractum est. Quarto die emplastra vesicatoria brachiis cruribusque applicata sunt, latissimum vero lateri in quo dolor pressit. Item gummi ammoniacum iulapio adiectum est, quod sputum cxpelleret. At frustra, mansit namque et idem dolor, et spirandi difficultas, et pulsus frequens, et urina flammea, neque secuta sputa cocta sunt.

Quare die sexto extractum corticis peruviani mixturae adieci: scilicet ut ex eo aegra drachmas sex per viginti quatuor horas assumat. Inde minutus febris ardor est, moderataque tussis. Accessit somnus, cutis sudore immaduit; urina turbida evenit, et sedimentum lateri trito simile praecipitavit; arteriarum pulsus mollis factus est, quo aegra plus corticis assumsit eo magis ad integritatem pervenit. Deinde convaluit post quindecim dies.

Recuperatis viribus mulier, cum erecta obambulasset, multa sputa cocta facile et liberaliter eiecit.

AEGROTUS LVI.

Anno 1766. initio Veris faber scriniarius, 50. annorum, pleuritide correptus est. Eius vena iterum iterumque secta est, extractus sanguis tenaci crusta tectus erat. Praestitum iulapium refrigerans, potusque est. Impositi affecto lateri fotus emollientes sunt.

Arteriarum pulsus frequens erat, urina flammea, spiritus difficilis, sputum tenax ruffum. Accesserunt quinto die deliria, inquietudines factaque lingua arida est. Quare superiori iulapio Extractum corticis peruviani adieci. Inde calor remisit, post aliquot dies sudor in-

incertis temporibus erupit, urina turbida evenit; et sedimentum lateri trito simile praecipitavit: paulo post aeger convaluit.

Superato morbo homo, cum somnum cepisset, et virium aliquantum recuperasset, sputum album coctum eiecit, et imposterum absque notabili excreatione factus bene sanus est.

Anno 1766. eodem tempore iuvenis frater ordinis S. Dominici pleuritide affectus est. Huius vena saepe, quoties nempe per vires et per febrim licuit, secta est: sanguis crustam, tenacem, albam habuit. AEGROTUS LVII.

Praestitum iulapium est, adiecto nitro et oxymelle; potus item refrigerans; imperatus victus tenuis, et impositus affecto lateri fotus mollis est.

Post quartum diem sputa ruffa, tenacia, cum labore evulsa sunt. Noctes inquietae erant, accessit delirium, urina flammea evenit.

Quare iulapio Extractum corticis peruviani adieci; quod et febrim et delirium extinxit. Post, cutis saepe sudore immaduit, urina turbida evenit et sedimentum lateri trito simile praecipitavit: pulsus factus mollis est, urina urinae sanorum similis, noctu requies erat. Secuta sputa cocta sunt, cum aeger convaluisset.

Ut sanguinis crusta siquidem ea per convalescentiam cocta est, intra bonam valetudinem sputo eiicitur, ita eadem hoc ipso valetudinis tempore etiam per alias vias eliminatur, id est per has, per quas intra sanitatem mucus excerni consuescit; nempe per intestinorum

glandulas, e quibus vel sponte eiicitur, vel pharmaci purgantis adminiculo extrahitur: suntque istae alvi sedes meracae, muco plenae, et talia continentes, qualia cocta per sputum ab aliis eiiciuntur. Talem mucum alvo emiserunt aegri de quibus paulo ante (capite quinto) dixi, quorum morbi statum ibidem relegere iuvat. His aliqua istius exitus exempla nunc iungam.

AEGROTUS LVIII. Anno 1774. mense Martio Equiso pleuritide tentatus est. Sanguinem misit, qui non crusta sed pelle tectus erat. Iulapium cum oxymelle simplici atque decoctum refrigerans sumsit.

Altero die arteriarum pulsus et plenus et mollis fieri coepit, secus ac is in tali morbo esse consuescit. Equidem tertio die nulla resolutio erat: quare emplastrum vesicatorium affecto loco imposui.

A medio quinti diei multus sudor erupit; exeunte eodem die urina turbida evenit cum sedimento lateri trito simili, simul et omnis dolor atque tussis deleti sunt. Sexto die idem sudor, eadem urina. Ad exitum septimi diei urina cocta cum nubecula, ut sanorum urina; perfectaque valetudo.

Huic die duodecimo, quo homo bene valebat et viribus satis pollebat, laxans pharmacum praestiti, quod plurimum mucum coctum subduxit.

AEGROTUS LIX. Anno 1767. medio mense Decembri Equiso pleuritidem in dextro latere accepit. Huius vena altero die secta est; tertio item, extractusque ex ea sanguis crustam habuit. Praestita me-

medicamenta refrigerantia sunt, et imperatus victus tenuis est; impositaque affecto lateri fomenta sunt.

Quarto die, quoniam pulsus convulsivus mansit et urina cruda fuit, emplastrum vesicatorium latum affectae plagae imposui, et iulapio semunciam Extracti corticis peruviani adieci.

Quinto die largus sudor erupit, qui imposterum continuavit: urina turbida evenit et sedimentum lateri trito simile praecipitavit. Hinc noctu requies erat.

Die nono item largus similisque sudor erupit, qui aegrum doloris expertem reliquit. Imposterum intra liberam respirationem sputa cocta exierunt.

Post haec reconvalescens bibit per tres septimanas aquas Selteranas tepidas mane adiecto saccharo: post quas bene habuit.

Post sex deinde septimanas, cum homo erectus obambulasset et aëre, ut sanus quisque, usus fuisset, alvi profluvium cum tenesmo accepit, quod multa mucosa excussit: quae quod reliquiae crustae fuerint, credibile est.

Anno 1781. die 1. Novembris iuvenis mulier Pleuritide correpta est. Sanguis e vena missus densam crustam habuit. Iudicata est die nono per sudorem et per urinam. Triginta tribus post morbi finem diebus orta tormina sunt et largum alvi profluvium, quod plurimum mucum coctum album sine stercore excussit. AEGROTUS LX.

Anno 1783. die 17. Februarii vir 60. an- AEGROTUS LXI.

 no-

norum peripneumonia vera affectus est, sanguis omnino densam crustam habuit. Iudicatus est quinto et septimo die per sudorem et per urinam, quae sedimentum lateri trito simile praecipitavit. Sputo nihil eiecit.

Decimo quarto post finitum morbum die tormina accepit et alvi fluxum, quo plurimus mucus coctus excussus est. Deinde laxans dedi, quod item multum mucum subtraxit.

Rursum die 17. Martii tormina accepit; ob quae item laxans pharmacum ei praestiti: quod item multum mucum eduxit.

Nonnunquam ista crusta, posteaquam ea per convalescentiam cocta est, sputo non eiicitur, neque alvo emittitur, sed per diversos abscessus expellitur. Ita servus sallarius, et aulae sutor furunculos acceperunt, qui crustae reliquias expulerunt.

AEGROTUS LXII. Anno 1777. mense Iulio filius architecti, puer malesani corporis habitus et multis circum genu fistulis ab infantia affectus, Pleuritide correptus est. Evenit medicinae beneficio absque sputo. Intra convalescentiam orti multi abscessus in dorso sunt.

Similiter per bubones crustae exitus fit.

AEGROTUS LXIII. Anno 1767 die 22. Maii Nauta quinquaginta annos natus, primum frigore deinde calore et acerba simul tussi correptus est, cum spiritus difficultate, angustiis, et acuto in medio sterno dolore: sitim et os amarum habuit; arteriarum pulsum frequentem.

Huic iulapium refrigerans cum oxymelle, refrigerans etiam decoctum et victum tenuem imperavi. Secta altero die iterum vena est, ite-

iterumque quantum vires ferebant. Extractus primus sanguis ruber mansit, alter crustam albam lardaceam habuit, tertius magis tenacem.

Tertio die arteriarum pulsus frequens, celer, irritatus erat: ex quo iudicavi, quod quarta die sputum coctum non futurum sit. Accessit delirium non adeo pertinax, mansit pulsus irritatus in nonum usque diem; tussis acerba nil nisi sputum tenax cum labore trahens.

Quarto die Extractum corticis peruviani iulapio adieci. Sectum alvi frequens profluvium est, putrida, non cocta trahens *a*): facta angusta respiratio est cum frequente abdominis motu: erat cum his cutis arida, et ingens sitis.

Septimo die insudationes soporque. A nono die in undecimum usque largus sudor erupit, post quem arteriarum pulsus mollis et lentus evenit: secuta requies est, factus spiritus liber, et extinctus calor est.

Die undecimo turbae vesperi, duodecimo rursum requies.

Hucusque urina non turbida facta est, sed pedetentim ex rubra flava evenit, qualem sanus quisque habere consuescit. Tussis vero ipsa, uti quotidie corticis plus assumtum est, ita in vexa demisit.

Post turbas orta die decimo tertio stranguria est cum doloribus in regione renali uri-

 nam

a) » A pleuritide aut peripneumonia occupato, alvi profluvium » accedens, malum ». Hipp. Sect. VI. aphor. 16.

nam absque sedimento trahens. Imposita renibus fomenta sunt, quae nihil secutum est: siquidem die decimo quarto neque in renibus neque intra mingendum dolor supererat; contra vero, urina clara atque pellucida exiit.

Die decimo quinto eruperunt in diversis corporis partibus furunculi atque sub alis bubones, quibus imposita cataplasmata suppurantia sunt. Educto pure aeger prospere valuit.

Istius aegri crises omnes imparibus diebus factae sunt.

Possunt etiam plures tales crises altera alteram sequi.

Aegrotus LXIV.

Anno 1767. die 15. Aprilis vir 62. annos natus, et qui ab anno hucusque vitiati corporis habitus erat, incidit in peripneumoniam, quem morbum, popterea quod initio is parvus erat, vilipendit, neque vena secta est. Interea crevit malum.

Tertio die in auxilium vocatus venam secari iussi, iulapium refrigerans cum oxymelle et nitro imperavi, simile decoctum potui dedi, victum tenuem.

Missus e vena sanguis primus tenax erat, alter crustam inflammatoriam habuit. Arteriarum pulsus frequens et celer erat.

Quarto die missus iterum fanguis est, qui crusta lardacea tectus erat: arteriarum pulsus irritatus esse continuavit. Per quae signa praevidi, quod ante finem quarti diei nullum sputum coctum futurum sit: quae res intra vulgarem medendi methodum pessimo omini esse consuescit. Quare emplastra vesicatoria lata quinque locis imposui, et superiori iulapio ex-

tra-

tracti corticis peruviani drachmas sex ; quas aeger intra viginti quatuor horas assumeret, adieci.

Accessit quinto die delirium, somnus turbatus est, noctes inquietae erant, dies similiter: arteriarum pulsus irritatus erat; tussis acerba nil nisi sputum tenax cum labore trahens.

Septimo die sudor largus erupit in alterum usque diem, urina turbida facta est, et sedimentum lateri trito simile praecipitavit. Inde pulsus mollis factus est, tussis mitior evenit, accessit somnus et recta mens.

Erat iste sudor istaque urina ipsius febris crisis

Post istam crisin alvus laxa evenit et multa mucosa excussit.

Erat ista crisis crustae coctae.

Tussis finem habuit atque aeger post corticem peruvianum convaluit. Cumque bona valetudo magis constitisset, eruperunt in diversis externi corporis partibus furunculi.

Erat ista altera crustae coctae crisis.

Postremo cum perfecta valetudo constitisset, secuta sputa cocta sunt, quae liberaliter et absque labore exierunt.

Haec tertia crustae coctae crisis erat.

Sic quidem crusta per convalescentiam e corpore exit: non illa solum, quam sanguis intra pleuritidem contraxit, sed etiam omnis ea crusta, quam sanguis in caeteris morbis inflammatoriis quibuscunque accepit: in febre ardente, in angina, in phlegmone, in malo panaritio cum zona, in febre scarlatina etc.

de

de qua quidem crusta, et de eius exitu imposterum, si vita supersit, multa notatu digna proponam: nova profecto et hucusque incognita.

CAPUT VII.

Febris pleuritica cuius generis sit?

Supra per Experimenta demonstravi, pleuritidem veram fieri, quoties eius febris materia in latus incidit; contra vero pleuritidem rursum eximi suamque febrim extingui quoties haec ipsa materia sive ad humerum ascendit, sive per labia exulceratur, sive cocta tertio vel quinto vel septimo vel nono vel undecimo die per sudorem atque per turbidam urinam exitum e corpore sumit: et vice versa, eandem febrim eundemque acutum lateris dolorem excitari; quando eadem materia, quae ante in humero residebat, nunc in latus descendit in eodemque suam sedem figit: Icterum vero, si ipsa e latere in hepar se praecipitat. Nunc perquirendum est, ista febris cuius generis sit? vel, quod idem est, haec materia, quae istam pleuritidem febrim excitat, cuius indolis sit?

Ut id exequar, utar item, quemadmodum hucusque consuevi, experimentis, non theoriae fuco. Incipiam a cognitis.

Omnibus medicis practicis notum atque expertum est, febrim intermittentem eos dimittere, quorum labia exulcerantur. Suspicatur Hip-

Hippocrates etiam caeteras febres, in quibus labia exulcerantur, intermittentes esse *a*). Si pleuriticorum labia, ut supra indicavi, exulcerantur, aegri protinus expertes pleuritidis sunt.

Post unamquamque febris intermittentis, si regularis ea est, accessionem multus sudor, acidum olens, ex universo corpore erumpit, et urina turbida evenit quae sedimentum lateri trito simile praecipitat. Ista urina et iste sudor febri intermittenti prae caeteris proprii sunt. Per talem urinam, ut recte Sydenhamius monuit, febrim intermittentem etiam obscurissimam detegimus. Similis sudor similisque urina intra pleuritidem, si eidem recte medemur, erumpunt, atque pleuritidem cum febre extinguunt.

Febres intermittentes post tres, post quinque, post septem, ad summum post novem accessiones desistere Hippocrates dixit. Ita saepius contingit, vernales quam si autumnales febres sunt; saepius item si tertianae, quam si quartanae eaedem sunt. Contingit autem ita in universum persaepe.

Similiter pleuritis vel per se vel cum recte adhibitis auxiliis post tres, post quinque, post septem, ad summum post novem vel undecim dies finem sumit, per sudorem nempe atque per turbidam urinam, quae sedimentum lateri trito simile praecipitat. Debent autem continentis pleuriticae febris dies veluti totidem in-

---

a) » Febres, in quibus exulcerantur labia, fortassis intermittentes ». De morb. popul. Lib. VII. Sect. VIII.

intermittentis accessiones, si eae invicem coniunctae essent, numerari.

Qui acidum eructant, non facile febre intermittente corripiuntur. Ita experientia. Similiter, acidum eructantes expertes pleuritidis manent *a*).

Qui febre topica laborare consuescunt, hi, veluti per 38. annos observavi, intermittente regulari quemadmodum caeteri homines non corripiuntur. Virgo ter intra triginta annos dolorem iuxta dimidiam eandem capitis partem habebat, qui alternis diebus eadem hora accessit; nunquam vero febre ordinata, ut caeteri homines, affecta est; etsi interea febris intermittens saepe popularis fuisset.

Similiter qui pleuritide saepe affecti fuerunt, febris intermittentis expertes esse consueverunt. Monialis virgo, de qua supra dixi, ter per diversos annos pleuritide affecta fuit, nunquam vero intra triginta duos annos, quod scio, febre intermittente correpta est: etsi in eodem monasterio suae sociae febre intermittente laborare consuescant. Contrarium vero, si recens morbus est, saepe videmus. Intra multos hucusque annos pleuritis simul et febris intermittens populares erant; eodemque ipso tempore alios febris intermittens, alios pleuritis prehendit: alii ex intermittente in pleuritidem deciderunt.

Anno 1769. mense Martio procul in Maium mensem usque pleuritis popularis erat; in ea-

---

a) » Acidum ructum habentes non ita valde pleuritici fiunt ». Hipp. Sect. VI. Aphor. 33.

eademque multi, qui per febrem intermittentem inceperant, delapsi sunt: multi etiam sine tali febre facti pleuritici sunt: utrique pleuritici similiter laborabant, similem dolorem, similem calorem, sanguinis crustam similem habebant: nulla inter utrosque pleuriticos differentia morbi erat. Ex istis pleuriticis alii altero die, alii tertio die exulcerata labia acceperunt; quemadmodum intra ipsam febrim intermittentem. Etiam talia labiorum ulcera contigerunt his, qui in istam pleuritidem absque febre intermittente deciderunt. Horum item alii perfecte, alii imperfecte ex istis ulceribus iudicati fuere, perinde ac in febribus intermittentibus exquisitis. Cuncti vero, ut talia oris ulcera acceperunt, dolorem ex latere modo omnem amiserunt, modo plurimum tantum.

Supervacuum foret multa istius constitutionis epidemicae atque curationis exempla adducere. Aliqua satis erunt.

Juvenis coquus febre tertiana exquisita laborabat. Post duas accessiones tartarum emeticum assumsit; post tertiam accessionem purgatus est pulvere ialapae. At eodem die, qui intercalaris erat, pleuritide in sinistro latere affectus est. Aegrotus LXV.

Missus e cubiti vena sanguis ter est; isque crusta lardacea tectus erat. Praestitum iulapium refrigerans decoctumque est, et imperata diaeta est. Initio tertii diei extractum corticis peruviani iulapio adieci, et emplastrum vesicatorium affectae plagae imposui.

Quinto die sudor acidus erupit, qui omnem et dolorem, et tussim, et calorem, sine

spu-

sputo discussit: aegerque lectum septimo die deseruit.

Ita quindecim dies homo bene sanus erat, nunc vero iterum in intermittentem recidit. Quod recidivae genus, siquidem intermittens versa in continentem febrim est, perraro contingit.

Aegrotus LXVI. Anno 1782. mense Augusto, quo tempore popularis tertiana febris erat, Virgo 20. annorum febre inordinata laborabat, quam octo fere dies reticuit, pharmacorum fuga. Postremo, cum succubuisset, meum petiit consilium.

Huic medicamentum vomitorium praestiti; quod multam bilem excussit: deinde purgans pharmacum, a quo multa impura secesserunt. Post haec febris (quemadmodum fieri consuescit) ordinari debuisset: at contra: namque eodem die, quo febris accedere debuisset, aegram Pleuritis vera prehendit.

Secta nunc bis vena est, missusque sanguis crustae aliquantum habuit. Applicatum ad affectum latus emplastrum vesicatorium est, praestitaque, ut caeteris pleuriticis, medicamenta sunt. Pleuritis tres continuos dies occupavit: quarto requies erat: quinto et septimo die accessiones tertianae febris regulares revenerunt. Quam febrim deinde tertianam exquisitam pulvere radicis Gei urbani excussi.

Aegrotus LXVII. Anno 1785. ad exitum mensis Aprilis serva vera pleuritide affecta est. Missus sanguis crustam lardaceam habuit. Perfecte iudicata est diebus quinto et septimo per sudorem et per urinam quae turbata est, et sedimentum lateri

trito

trito simile praecipitavit. Medio mense Maio ipsa in tertianam exquisitam incidit.

Famulus Pleuritide vera affectus est ad exitum mensis Aprilis 1783. Iudicatus est septimo die. Autumno anni 1784. incidit in febrim intermittentem quartanam: sanatus est. Mense Februario anni 1785. Pleuritide vera correptus est. Iudicabatur quinto et septimo die. Mense Aprili relapsus in quartanam est. AEGROTUS LXVIII.

Anno 1765. exeunte aestate puer quinquennis febre intermittente modo quotidiana, modo tertiana, modo quartana, hacque modo simplici, modo duplici laborabat, nunc post adhibita auxilia carebat iterum, donec ita trahendo durum lienis tumorem accepisset. Sub finem autumni expulsa per corticem peruvianum febris quidem est; attamen remansit et durus lienis tumor, et malus aliquandiu corporis habitus. AEGROTUS LXIX.

Initio sequentis hyemis eum pleuritis prehendit, inque affecto latere vehemens dolor pressit cum tussi sicca, laboriosa respiratione, arteriarum celeri pulsu, exacerbatione febrili circa vesperum, genis rubris atque delirio.

Quare secta bis vena est; ex eademque missus sanguis crustam habuit. Impositae affecto lateri molles herbae ex aqua coctae, data medicamenta refrigerantia, cum sorbitionibus, et applicata emplastra vesicatoria sunt: absque profectu. Itaque superioribus auxiliis corticem peruvianum adieci, qui aegrum et proxime eripuit et durum lienis tumorem excussit et corpus recidivis vacuum effecit.

An-

Anno 1779. mense Martio atque per Aprilis initium tempestas sicca erat: nihilominus iuxta nos febres tertianae, etsi non adeo multae, tamen populares erant, ipsaeque, veluti Vere consuescunt, post tres aut post quinque circuitus finem acceperunt. Eadem quoque tempestate aliqui pleuritide correpti sunt; quae item, quemadmodum febris tertiana ipsa, ad exitum tertii diei similiter desiit, post urinam nempe turbidam quae sedimentum lateri trito simile deposuerat; atque post sudorem, qui acidum odorem habebat.

Notum insuper est, multos, qui febre intermittente autumnali laboraverant, et per corticem peruvianum sanati fuere, proximo Vere in eandem febrim recidere, eademque tunc post tres, maxime vero post quinque accessiones absque medicinae auxilio liberari. Ita aliqui ex his, qui superiore autumno febre intermittente laborabant, proximo Vere non tali febre sed Pleuritide affecti sunt, eademque item ad exitum tertii diei per sudorem atque urinam turbidam similiter liberati sunt.

A medio mense Novembri anni 1774. procul ultra Februarium anni 1775. hiems humida erat; intra quam nonnunquam per aliquot dies intensum frigus pluviam exceperat. Intra istam tempestatem nemo, quantum ego scire potui, febre intermittente correptus est. Sex vero pleuritide tentati sunt: unus asthmaticus, alter anhelus tibicen, nauta, virgo, sartoris uxor, et pedagogus: omnes eadem curandi ratione habiti per similes crises evenerunt. Postremo uxoris atque pedagogi pleuritis versa

in

in febrim intermittentem exquisitam est: quemadmodum nonnunquam viceversa febris intermittens ipsa in pleuritidem mutatur.

Anno 1751. et 1752. popularis pleuritis erat, haecque modo cum intermittente febre erat, modo cum continente, modo per labiorum ulcera finem accepit, modo ipsa orta ex longa intermittente est, modo in intermittentem abiit, modo post annum similiter ut intermittens quaeque reversa est *a*).

Neque ignotus acutus ille lateris dolor est, qui certum circuitum habet, et cum febris tertianae accessione incipit, iterum intermittit, iterumque cum proxima accessione revertitur; neque nisi excussa febre desistit *b*).

Per quae experimenta ad credendum inducimur, Pleuritidem aeque ac febrim intermittentem similem causam agnoscere: putoque posse eandem causam, siquidem ea humoribus insinuat se, aut in excretis quae intus retenta sunt, nidulatur, intermittentem efficere: contra vero si solidis partibus ea infigitur, inflammationem localem excitare: veluti id multa experimenta docent. Ita posse eandem quoties ipsa in membranam pulmones succingentem incidit, pleuritidem statuere: denique alium atque alium morbum ostendere, prout ea in aliam atque aliam corporis partem incidit: sic in latere cantoris, de quo capite quinto dixi, pleuritidem effecit: Icterum, ut ex eodem latere in hepar descendit; postremo cum hepar

 di-

a) Vid. observ. de febr. interm. Lib. II. Cap. IV.
b) Vid. ibidem.

dimisit, febrim intermittentem exquisitam excitavit, quae post septem circuitus exitum sumsit.

Pari ratione modoque anno 1770. initio mensis Martii ortus ex eadem ipsa materia Catarrhus epidemicus est, cum coriza, angina, acerba tussi, et magna febre. Iste morbus diu cum adhibitis communibus remediis traxit. Non pauci absque ratione passi recidivam sunt. Nonnullorum exulcerata oris labia sunt, indeque minutus quidem non vero extinctus morbus est. Neque sputum puriforme, etiam si aegri eiecerunt, quidquam iuvit: iuvit autem sudor largus acidum odorem habens, et urina turbida quae sedimentum lateri trito simile praecipitavit. Istorum aegrorum alii, posteaquam ita duos dies male habebant, in pleuritidem veram absque manifesta ratione inciderunt, et cortice peruviano sanati sunt. Qui vero ab ista pleuritide revenerunt, hi neque traxerunt imposterum, neque recidivam passi sunt.

Idem magis anno 1782. patebat; intra quem popularis quidam Catarrhus omnes Europae gentes corripuerat, et ipse diversam larvam admisit, sub qua et medicos vehementer fefellit, et non paucos aegros praecipitavit. Veluti alibi a me scriptum est *a*).

a) Dissertatio de Catarrho epidemico anni 1782. Moguntiae 1784. Equidem in istam Dissertationem nuper inepte declamavit abortivus quidam censor; abundantia bilis & scientiae penuria (Allgemeine deutsche Bibliothek, des 64. Bandes 1. Stük 74. S.) Verum hunc (cuius praeterea & miseret & pudet) persequi cum dignitas operis prohibet, tum festinatio, ut ea explicem, quae exorsus sum.

CAPUT VIII.

De diebus criticis.

Nunc de diebus criticis, intra quos pleuritis sub mea curatione iudicari consuescit, scribere operae pretium est, et ante videre, num perfectae crises imparibus diebus contingant, imperfectae vero aut malae in dies pares incidant? Quae observatio et perutilis et ad confirmandam cum Hippocratis sententiam, tum meam quoque curandi rationem necessaria est.

Magnam imparium dierum rationem Hippocrates habuit: adeo, ut intra eosdem et plurimos morbos iudicari et ipsos magis ad commodum terminari contenderit. Id Asclepiades ut vanum repudiavit *a*).

 As-

a) » Eſt autem alia etiam de diebus ipsis dubitatio, quoniam » antiqui potiſſimum impares sequebantur, eosque, tanquam » tunc de aegris iudicaretur, κρισιμȣς nominabant. Hi » erant dies tertius, quintus, septimus, nonus, undecimus, » quartus decimus, unus & vigeſimus; ita ut summa poten- » tia septimo, deinde quarto decimo, deinde uni & vigeſi- » mo daretur. Igitur ſic aegros nutriebant, ut dierum im- » parium acceſſiones expectarent: deinde poſtea cibum, qua- » ſi levioribus acceſſionibus inſtantibus, darent: adeo ut » Hippocrates, ſi alio die febris deſiiſſet, recidivam timere » ſit solitus.

» Id Asclepiades iure ut vanum repudiavit: neque in ullo die, » qua par imparve eſſet, aegri vel maius, vel minus peri- » culum eſſe dixit. Interdum enim peiores dies pares fiunt, » & opportunius poſt febrium acceſſiones cibus datur. Non- » nunquam etiam in ipso morbo dierum ratio mutatur: ſitque » gravior, qui remiſſior eſſe consueverat. Atque ipse quar- » tus decimus par eſt, in quo eſſe magnam vim antiqui fa-

te-

Asclepiadem secuti multi imposterum medici sunt: attamen non pauci fidenter Hippocrati adhaeserunt. Sed etiam inter ipsos hos iterum disputatur; nempe si incerta initia morbus habeat, a quo tempore dies numerari debeant: an a quo die aeger malehabere incepit? an a tempore quo opprimi a morbo aeger incipiat? Contra alii non dies sed accessiones vel exacerbationes numerari debere sustinent; ut dierum computus cum Hippocratis numerandi ratione conveniat *a*). Ego, nullius addictus opinioni, et veluti hucusque assuevi; procul a theoriae disputationibus existimo; ad istam

---

» tebantur. Qui cum octavum primi naturam habere contenderent, ut ab eo secundus septenarius inciperet, ipsi sibi repugnabant, non octavum neque decimum, neque duodecimum diem sumendo, quasi potentiorem: plus enim tribuebant nono, & undecimo. Quod cum fecissent sine ulla probabili ratione, ab undecimo non ad tertium decimum, sed ad quartum decimum transibant. Est etiam apud Hippocratem, ei, quem septimus dies liberaturus sit, quartum esse gravissimum. Ita, illo quoque Authore, in die pari et gravior febris esse potest, & certa futuri nota. Atque idem alio loco quartum quoque diem, ut in utrumque efficacissimum apprehendit; id est, quartum, septimum, undecimum, quartum decimum, decimum septimum, in quo ab impari ad paris rationem transit. Et ne in hoc quidem propositum conservavit: cum a septimo die undecimus non quartus, sed quintus sit. Adeo apparet, quacunque ratione ad numerum respexerimus, nihil rationis, sub illo quidem authore reperiri. Verum in his quidem antiquos tunc celebres admodum Pythagorici numeri fefellerunt: cum hic quoque medicus non numerare dies debeat, sed ipsas accessiones intueri: et ex his coniectare, quando dandus cibus sit ». A. C. Celsus L. III. Cap. 5.

a) » Quae diebus paribus exacerbantur, paribus iudicantur. Quorum autem exacerbationes in imparibus fiunt, ea in imparibus iudicantur ». Hipp. Lib. I. de morb. popul. Sect. III. Nro 35.

istam rei medicae perquisitionem atque ad statuendam firmandamque veritatem tales febres exempli causa assumi debere, quae certum initium habent; deindeque videre, utrum harum bonae crises in impares dies incidant, malae vero imperfectaeve paribus diebus contingant? Ad istam disquisitionem nulla febris magis apta atque opportuna est; quam vel intermittens exquisita, vel ipsa pleuritis, utpote perquas certa notitia haberi potest, quando numerari per accessiones debeat, quando per dies. Incipiam ab intermittente: deinde ad continentem veniam.

Itaque (quod Hippocrates posuit, et omnibus medicis practicis notum atque perspectum est) febres intermittentes exquisitae tribus, quinque, septem ad summum novem circuitibus, imparibus nempe, absolvuntur. Ita vernales magis quam autumnales febres, saepius item tertianae, quam quartanae: nihilominus idem per alterutram tempestatem saepe cum utrisque febribus obtinet; adeo ut medicus, si artifex est, post imparem aliquam talem accessionem certo praedicere possit, aliquane an nulla imposterum accessio futura sit. Neque unquam ego vidi (neque fortassis quisquam alius vidit) aliquam talem febrim post quatuor, post sex, post octo, aut post aliam quamcunque parem accessionem finem sine recidiva sumsisse; neque factas tales bonas solutiones per pares accessiones fuisse, quales per impares contingere consuescunt *a*).

a) Vide obrervatioues de febribus intermittentibus. Offenbac 1785.

Hoc ut palam apud medicos constet, opus est, ut ipsi temporis dies cum accessionum numero comparent: et tunc profecto videbunt, quod nulla crisis bona sit; quoties ea vel pari die contingat, vel cum pari accessione conveniat; neque etiam, si impar temporis dies in parem febris accessionem incidat; sed contra semper bonas istas crises esse, quoties impar temporis dies cum impari accessione conveniat. Id per cifras ante oculos ostendam. Sit itaque tertiana febris; sintque.

febris accessiones	1′	2	3′	4	5′	6	7′	8	9′
temporis dies	1	3	5	7	9	11	13	15	17

Facta tali comparatione videmus; quod eae accessiones, quae impares cum imparibus temporis diebus coincidunt, sponte desistant; caeterae vero pares accessiones, quae cum imparibus diebus conveniunt; aut impares accessiones, quae in pares dies incidunt, nunquam per se cessent.

Similiter quartana febris non desistit, quoties temporis par dies cum pari aliqua accessione convenerit: contra vero desistet eadem quoties impar dies in imparem accessionem incidit. Sint itaque exempli gratia

febris accessiones	1′	2	3′	4	5′	6	7′	8	9′
temporis dies	1	4	7	10	13	16	19	22	25

Per impares tales accessiones, quae numerari debent, febres intermittentes iudicantur. At, si continens febris est, eius non exacer-

ba-

bationes sed dies numerari, iidemque, ut recte Sydenhamius monuit, tanquam totidem febris intermittentis accessiones sibi invicem iunctae haberi debent: et tunc videbimus, quod febris continens post totidem dies iudicetur, post quot accessiones febris intermittens iudicari consuescit: nempe tertio, quinto, septimo, nono die. Id palam in febre pleuritica est, quae manifestum initium habet, a quo certo numerari dies possunt. Vidimus enim supra, et per experimenta demonstravimus, pleuritidem vel tertio die per sudorem atque urinam turbidam perfecte iudicari; vel quinto et septimo simul; nonnunquam nono, quandoque etiam undecimo die: imparibus nempe diebus, veluti Hippocrates voluit.

Praeter sudorem atque urinam turbidam alias adhuc bonas crises Pleuritis recipit, quas superiore capite quinto et sexto indicavi; et quae item imparibus diebus contigerunt.

Superest ut videamus, an Hippocrates, si alio die, scilicet pari, febris desiisset, recidivam iure timuerit? Ut id demonstrem, utar item his quae in una eademque febre, in ipsa eadem Pleuritide, cum iisdem ipsis auxiliis, atque per eandem curandi rationem expertus sum. En exempla.

Anno 1768. die 13. Martii mulier 40. annos nata pleuritide correpta est. Missus e vena sanguis mucosus, lividus, non cohaerens erat; similis item qui vesperi extractus est; qui vero sanguis altero die missus est, crustam habuit. Lateri imposita fomenta emollientia sunt, praestitumque iulapium atque decoctum refrigerans est. AEGROTUS LXX.

 Ini-

Initio tertii diei emplastrum vesicatorium dolenti plagae imponi iussi: extracti corticis semiunciam iulapio adieci, quale intra viginti quatuor horas bis consumat.

A medio die quarto multus sudor acidus erupit, et urina turbida evenit cum sedimento lateri trito simili: quam crisin non profuturam sed contra in longius tracturum morbum esse ideo praedixi, quoniam ista crisis die pari contigit *a*). Et profecto crevit calor, urina tenuis aquosa evenit, quam Hippocrates in isto morbo tanquam exitiosam damnat *b*). Accessit delirium etiam cum adhibito cortice.

Denique exeunte decimo die sudor multus olens erupit, et tum urina turbiba evenit cum sedimento lateri trito simili: quae altera crisis item die pari morbum finivit: difficilius utique et cum multo maiore labore, quam si imparibus diebus eaedem crises, ut caeteris aegris supra, contigissent.

Intra convalescentiam orta nausea atque vomendi desiderium est. Accepta manna (vomere enim, ut debuisset, aegra noluit) multum muci cocti alvo exiit: quae medicina, cum

---

a) » Sudores febricitanti si inceperint, boni sunt tertia die. » quinta, et septima, et nona, et undecima, et decima » quarta, et decima septima, et vigesima prima, et vigesi- » ma septima, et trigesima prima, et trigesima septima; hi » enim sudores morbos iudicant. Qui vero non sic fiunt, » dolorem significant, et longitudinem morbi, et recidivas ». Hipp. Lib. Aphor. Sect. IV. Aphor. 36.

b) At peripneumonicis perniciosa (urina) est, quae in prin- » cipio quidem coacta est, post quartam vero diem attenua- » tur ». Lib. de coac. praenoc. Sect. III. v. 5.

cum aliquoties repetita fuisset, integram valetudinem confirmavit.

Anno 1769. die 17. Martii vir annos circiter 36. natus, crassus, malehabere coepit cum frigore, calore, nausea, et spiritu compresso. Huic suus medicus, nescio qua similitudine recti, vomitorium dedit, postero die purgans pharmacum. Inter haec difficilior spiritus evenit et acutus in dextro latere iuxta septimam costam dolor magis pressit *a*). AEGROTUS LXXI.

Ex huius vena sanguinem hoc die bis traxi, qui crustam tenacem accepit. Iulapium item et decoctum, quale supra, dedi. Tertio die item sanguinem misi, qui crustam habuit. Pulsus celer et frequens permansit, urina flammea, noctu subdelirium, inquietudines. Emplastrum Vesicatorium latum affecto lateri imposui, et extractum corticis iulapio adieci. Secutum levamen est.

Intra quartum diem (parem) multus sudor acidus erupit, qui ad septimum usque continuavit, et non iuvit. At septimo die idem sudor liberaliter excessit: posteaque turbata urina est, et sedimentum lateri trito simile praecipitavit; inde pulsus mollis et plenus evenit; dolor dissipatus est, factus liber spiritus est, sine tussi et absque sputo; noctu somnus; rursum urina sanorum urinae similis; de-

---

a) » Scomphus in Oeniadis pleuritide correptus, mortuus est. » Septima delirus Pharmacum autem bibit infra purgans, » priore ante potionem die mentis compos erat, et purga- » tus est non multum, cum autem purgaretur, deliravit ». Hipp. de morb. popul. Lib. V. v. 1.

desiit sudor post; et aeger octavo die lectum deseruit, cibos desiderans sanus.

Etsi autem istum aegrum bona crisis, quae in septimum (imparem) diem incidit, sicque malam quarti (paris) diei crisin correxit, iuvisset; tamen ipse, cum vires constare coepissent, oedematosos pedes accepit. Huic purgans pharmacum praestiti, quod, cum multum muci cocti subtraxisset, oedema dissipavit.

Aegrotus LXXII. Anno 1770. die 26. Ianuarii famulus, qui ante aliquot annos pleuritide laborabat, et tertio die iudicabatur, nunc iterum in eandem incidit. Incepit frigere, post incaluit magna febre cum acuto in sinistro latere dolore.

Extraxtus e vena sanguis crustam habuit; extractus postero die sanguis crustae expers erat. Adhibita eadem curandi ratio atque applicatum Vesicatorium est. Tussis mitescere coepit: sputi parum, idque tenax crudumque excretum est.

Die quarto sudor acidus erupit, qui tussim simul et dolorem submovit: febris autem continuavit.

Die octavo ortum rursum frigus est; secutus calor et magna febris novusque dolor nunc in adverso dextro latere recidivus est. Igitur secta iterum vena est, et sanguis similem crustam habuit; at, qui altero die missus est, iterum crustae, ut ante, similiter expers erat. Adhibita eadem iterum curandi ratio est; Emplastrum vesicatorium item.

Die 5. recidivae multus sudor acidus erupit, et turbata urina est, quae sedimentum lateri trito simile praecipitavit.

Die

Die recidivae 7. similis sudor erupit, qui per plures dies continuavit et aegrum absque sputo integrae sanitati restituit.

Iste morbus initio iudicatus est pari die quarto, et secuta recidiva est. Recidiva autem ipsa imparibus diebus 5. et 7. iudicata est, et morbus non reversus sed ex toto expunctus est *a*).

Anno 1776. ad exitum mensis Octobris, quo tempore pleuritis popularis erat, vir 60. annorum in eundem morbum incidit. AEGROTUS LXXIII.

Die secundo sedatiunculae erant, et urina turbida evenit cum sedimento lateri trito simili. Missus per paucas portiones sanguis est; isque non adeo densam crustam habebat. Igitur vesperi diei tertii latum emplastrum vesicatorium affectae plagae imposui, et extractum corticis iulapio adieci.

Die quarto similis sudor erupit, similisque urina, ac die secundo evenit. Ob quas criticas evacuationes, quoniam eae paribus diebus contigere, quod morbus ultra septem dies tracturus sit, praedixi.

Peior morbus devenit; accessit delirium. Octavo die sanguinis item discum misi, qui totus omnisque in crustam abiit, viridis ex flavo coloris, granula ut vetus mel habentem: quae crustarum pessima est. Vesperi emplastrum vesicatorium inter scapulas positum est; quod traxit.

Tan-

---

a) » Febrientem si non in diebus imparibus febris dimiserit, » recidivare solet ». Hipp. Lib. Aphor. Sect. IV. Aphor. 61.

Tandem die nono sudor acidus ex universa corporis cute erupit, et turbata urina est, quae sedimentum lateri trito simile praecipitavit: post quam crisin, quoniam ea (impari) nono die contigit, aeger protinus sanatus est; proximeque vires recuperavit. Iste autem aeger nullum mucum sive sputo sive alvo emisit. Eius vero pedes, secus ac eorum qui diebus imparibus iudicati fuere, facti oedematosi sunt, e quibus imposterum aqua, quae hucusque inter eorum cutim erat, sponte per urinam secessit.

AEGROTUS LXXIV. Anno 1769. die 21. Maii aulae sutor 40. annos natus pleuritide correptus est. Is simili, qua caeteri, curandi ratione habebatur.

Erupit pari die ex eius cute sudor acidus, et urina turbida evenit cum sedimento lateri trito simili. Morbus traxit in alteram septimanam; secus ac eorum, qui imparibus diebus iudicati fuere.

Intra tertiam septimanam, cum vires constare coepissent, quatuor magni furunculi, duo e dextra, unus e sinistra nate alter e dorso eruperunt, et aegrum integrae sanitati reddiderunt.

AEGROTUS LXXV. Anno 1771. sub finem Aprilis auriga pleuritide affectus est. Sanguis crustam habebat. Adhibita eadem, quae supra indicavi, auxilia sunt.

Sexto die multus sudor acidus ex cute erupit; turbata urina est, quae sedimentum lateri trito simile deposuit. Traxit morbus.

Cum vires constare coepissent, et aeger surrexisset, is sputum puriforme eiecit, et urinam

nam puriformem emisit. Intra convalescentiam pedes et scrotum facta oedematosa sunt. Tempore et per obambulationem in aprico discussum oedema est, et aeger perfecte convaluit.

Frater laicus, vir 50. anuorum, qui superiore anno pleuritide laboraverat, et quinto septimoque die perfecte iudicatus fuit, nunc idem anno 1780. die 6. Decembris in eundem morbum recidit. Missus e vena sanguis crustam habuit. Sputa cruda erant. Erupit octavo die (pari) multus sudor acidus; urina turbida facta est cum sedimento lateri trito simili. Die decimo (item pari) similis crisis erat. Convaluit difficulter. Intra convalescentiam plus quam centum parvos furunculos in dorsi cute accepit cum uno magno abscessu. Diu traxit, et pedes oedematosos accepit. **Aegrotus LXXVI.**

Anno 1780. mense Ianuario incidit in Pleuritidem iuvenis mulier: dolor in dextro latere erat: iudicabatur quinto et septimo die per sudorem atque per urinam; ita perfecte convaluit. **Aegrotus LXXVII.**

Haec relapsa in eundem morbum exeunte ipso anno est: dolor fixus in eodem latere erat: iudicabatur per sudorem octavo (pari die). Inde remansit tussis; quae initio quidem nihil, deinde vero sputum puriforme absque profectu emolita est: vana etiam erant pectoralia medicamenta quaeque. Ortus imposterum, mense Aprili 1781., magnus iuxta labiorum oris commissuram furunculus est; qui protinus siccatus parum iuvit, et durum in cute nodum reliquit.

Supervenit mense Maio febris intermittens quotidiana exquisita, intra eius accessiones antiquus lateris dolor per circuitum recruduit. Tertia accessio (veluti praedixi) maior prioribus erat; post eandemque multus sudor erupit, et urina sedimentum lateri trito simile praecipitavit. Inde tussis protinus desiit. Post quintam accessionem, quae item maior erat, similis sudor similisque urina erupit. Aegraque perfecte convaluit absque ullo medicamento: durus item furunculi nodus, qui hucusque remanserat, simul delectus est. Ita perfectae crises, quae imparibus febris intermittentis accessionibus contigerunt, ea vitia excusserunt, quae imperfecta crisis diei octavi intra pleuritidem ante reliquerat. Nonne eadem ipsa materia, et illam pleuritidem et istam febrim intermittentem excitavit? a qua post imperfectam pari die crisin aliquae reliquiae remanserunt, quae tussim continuarunt? Utique post perfectam crisin expulsae istae reliquiae sunt per impares febris intermittentis accessiones.

„ Morbus regius fit aliquando criticus, id „ est, iudicatorie „ *a*).

„ Quibus in febribus morbus regius septima aut nona aut decima quarta accedit bonum, si non praecordium dextrum durum „ fiat: sin minus, non bonum „ *b*).

„ Quibus in febribus morbus regius fit „ ante septimum diem, malum „ *c*).

Id

---

a) Galenus in 4. Lib. aphor. aph. 62.
b) Hipp. ibidem aph. 64.
c) Hipp. aphor. Lib. Sect. IV. aph. 62.

Id perpetuum est: nisi malam crisin, quae die pari antecessit, imposterum bona, quae impari die sequitur, priorem corrigat.

Anno 1783. die 27. Aprilis, vir 60. annorum Pleuritide vera affectus est. Missus e vena, iterumque missus sanguis ruber, sanorum sanguini similis erat. AEGROTUS LXXVIII.

Aeger quinto die non iudicatus est: sed contra in calore vehementer exarsit. Nunc missus sanguis crustam densam atque pertinacem habuit.

Supervenit sexto (pari) die Icterus, qui universam corporis cutim perflavo colore tinxit. Intra istum Icterum aeger exitiose habuit; calore exarsit, et extreme tussiit. Sputa cruda, tenacia, et viridia erant; urina transparens bile remixta, Et quo diutius Icterus insedit, eo magis facta viridia sputa sunt; extracto cicutae vulgaris similia colore.

Medio die septimo largus ex universa corporis cute sudor erupit, qui in octavum usque continuavit, calidus, viscidus, acidum odorem habens. Intra istum sudorem flavus e cute evanuit color; ipsaque cutis quam proxime alba evenit, facta expers flavi coloris urina est, neque supererat sive tussis sive sputum, arteriarum pulsus mollis et plenus erat, homoque bene habuit.

Anno 1784. die 15. Februarii incidit in veram Pleuritidem mulier. Dolor in sinistro latere erat. Accessit quarto die (pari) icterus, universa corporis cutis flava erat; inque oculis id, quod album esse debet, tinctum flavo colore erat. Urina bile remixta est: sputum, AEGROTUS LXXIX.

huc-

hucusque crudum, profunde flavo colore imbutum erat.

Aegra quinto die aerumnose habuit, acerbe tussiit absque profectu: supervenit delirium.

At medio septimo die plurimus sudor erupit, qui duodecim horas continuavit: octavo sudor item non adeo multus: nono vero die plurimus item sudor ad exitum istius diei omnem morbum tulit et aegram ad integritatem perduxit.

Quodsi vero imposterum impari die bona crisis malam, quae pari antecessit, non sequatur; actum de aegro est; idemque pari die extinguitur.

AEGROTUS LXXX. Anno 1780. die 12. Maii vir 73. annorum, sanguineus et a sua pueritia vitiati hucusque pectoris, primum frigore deinde calore correptus est, cum dolore dextri lateris in qua parte antiquum vitium vexabat: secta vena est, praestitaque pro ratione medicamenta sunt. Quarto die aurigine tincta cutis est *a*). Crevit indies colore aurigo. Aeger sexto die obiit. Aurigo die pari accessit; mors item die pari.

AEGROTUS LXXXI. Anno 1781. die 2. Aprilis mulier 43. annorum ex sanguinis frequenti sputo phthysica evenit, et exesis carnibus contabuit amissis viribus; non insons miasmatis venerei. Hanc sexto mense gravidam Pleuritis prehendit: quam morbi complicationem Hippocrates laethalem pronunciavit *b*). Dolor in postica costarum regione infra scapulam erat.

Ab-

a) » Quibus in febribus morbus regius fit ante septimum diem, » malum ». Hipp. Sect. IV. aphor. 62.

b) De morbis Sect. I. Nro 3.

Abortum fecit tertio die : quinto orta lactis febris est ; quae lochia retinuit ; intraque istam febrim aegra vehementer exarsit , non autem sudavit . Sudavit vero sexto (pari) die per horas tres ; indeque alleviata est ; lochia profluxerunt , simul et urina multa . Mortua est die (pari) duodecimo .

His consideratis , et per ista curationum exempla patet ; quod febrium crise , quae pari die contingunt , sive malae sive imperfectae sint : bonae vero atque perfectae eae , quae in impares dies incidunt : verumque esse constat , quod Hippocrates dierum criticorum ratione nobis reliquit .

Nihilominus neque et hoc praetereundum est , quod in tanta aegrorum turba per 34. hucusque annos aliqui (quinque scilicet) etiam impari die obierint , tamen omnes item absque crisi .

Mulier aetate supra 40. annos ob vehemens sanguinis ex utero profluvium, quod quatuordecim menses traxerat , hydropica evenit . Cohibitus sanguinis fluxus pulsusque hydrops est . Convalescentem pleuritis , quae ea tempestate popularis erat , in sua camera prehendit . Dolor in dextro latere sextam inter et septimam costam erat . Obiit tertio die . AEGROTUS LXXXII.

In aperto per dissectionem thorace utrimque aquae pellucidae circiter unciae sex erant . Pleura , quo loco dolor pungebat , absque noxa et sanae pleurae simillima erat . Contra , in eodem loco extima pulmonis pars plagam sphacelo corruptam , rotundam , plus quam pollicem diametro emensam habebat .

AEGROTUS LXXXIII. Anno 1776. mense Decembri hortulanus, strenuus a longis hucusque annis vini generosi potator, cuius quotidie viginti libras pro consuetudine hauriebat; et nonnisi salsa, helluonibus grata, esui habebat, incidit in pleuritidem.

Eum quarto die accepi. Sanguis e vena missus crustam habuit. Applicatum affecto loco emplastrum vesicatorium est. Quinto die sputum coctum evenit; sudor post: sexto die eum vires defecerunt: septimo sphacelosus obiit.

AEGROTUS LXXXIV. Senecio 73. annorum, peregenus, quem curae atque solicitudines diu multumque exagitaverant, et quem saepe cibus saepe etiam reficiens potus defecerat, miserrime degens incidit in pleuritidem. Non adeo acerbus iste lateris dolor erat: imo initio sanguinis striae (bonae notae) sputo immistae erant *a*).

Sanguinis discos duos misit, supra quem muci parum erat. Arteriarum pulsus vesperi durus erat, ob quem eodem tempore extractus unus sanguinis discus est, qui muci plus habebat.

Ad exitum tertii diei erant animi deliquia, arteriarum pulsus exilis et inaequalis, extremitates frigidae, sphacelus. Septima die mors *b*).

At-

---

a) » Sputum autem flavum, sanguine permixtum non multo, » si in pulmonis inflammatione, in principio morbi reiicia» tur, salutare est, & valde prodest ». Hipp. Lib praenot. v. 13.

b) » Oportet autem animadvertere, et nosse, in his tempori» bus iudicationes futuras esse ad salutem, aut mortem, aut » inclinationes ad melius, aut deterius ». Hip. Lib. I. de morb. popul. Sect. 3.

Atque hi quinque isti pleuritici fuerunt; qui inter quamplurimos alios a longis hucusque annis sub mea cura obierunt *a*).

Hucusque ad confirmandum Hippocratis de diebus criticis sententiam satis.

Inest profecto naturae ingens et prorsus admiranda crises perficiendi vis et veluti sagacitas; per quam non eum tantum morbum, qui primus occupavit, superat; sed et alterum, siquis superveniat, vincit: quae victoria aegris saluti simul et contemplanti medico dulci gaudio gratoque spectaculo est. Hoc etsi nonnunquam in diversis morbis, qui convenerunt, videri possit, nihilominus non inutile esse existimo, si unicum tale pleuritidis exemplum hic posuero, notatu profecto dignum.

Anno 1773. die 3. Maii, qua tempestate pleuritis et iuxta et circum nos popularis erat, iuvenis et sanguine plena mulier, de qua superiore capite quarto dixi, pleuritide tentata est, cum ipsa sex et dimidium menses gravida esset *b*).

Initio secundi diei in auxilium vocatus tres sanguinis discos e vena misi, qui crustam lardaceam habebat. Iulapium atque decoctum refrigerans praestiti; fomenta emollientia dolenti lateri imposita sunt: inditum item quandoque, ut opus erat, enema emolliens est. AEGROTUS LXXXV.

Post duas horas sanguinis item discum misi, qui crusta lardacea tectus erat: medio-

a) » Ut pote cum repugnante natura nihil medicina proficiat ». A. C. Celsus Lib. III. Cap. 1.

b) » Pleuritis, sive lateris inflammatio, in muliere gravida, » lethalis est ». Hipp. Lib. I. de morb. Nro 3.

que eodem die rursum sanguinis discum unum, qui similem crustam habebat. Erat spiritus extreme angustus. Itaque emplastrum vesicatorium latum affectae plagae imposui, et extractum corticis peruviani iulapio adieci.

Ad medium tertii diei dolor dorsum versus progressus est; quem transitum medici tanquam exitiosum damnant *a*). Erat corporis calor summus et cutis ardens: ob quem ardorem sanguinis item discum unum misi, qui densissimam crustam habebat.

Ad exitum tertii diei aegra abortum fecit: neque istum secutus sanguis neque lochia sunt: quod malum omen erat.

A medio quinto die largus sudor, acidum olens, ex universa cute erupit cum levamine. Verum post quatuor horas febris lactis, quam metuebam, accessit; eademque novum in latere dolorem suscitavit simul et omnem sudorem delevit, totumque corpus nunc aridum ardensque erat.

Attamen (quod observatu maxime dignum est) idem sudor ad exitum eiusdem quinti diei rursum liberaliter erupit cum iuvamine. Sudavit etiam aegra sexto die. A medio septimo vero die plurimus sudor ex universa corporis cute erupit, aegramque protinus ad integram sanitatem absque sputo restituit.

Reparata sanitate mulier Lochia, quemadmodum a recenti partu, emisit.

Istae crises et ipse partus in dies impares inciderunt. Neque potuit ipsa lactis febris, quae

---

a) Vid. Lommii observ. Lib. II. de vitiis pectoris.

quae supervenit, crisin, etsi eam ad exiguum quoddam tempus supressisset, tamen eandem necquicquam delere. Contra, erupit paulo post idem sudor, totumque morbum vicit. Tanta enim est naturae in perficiendis crisibus virtus!

Ut autem natura morbum, qui est, itemque eum qui incidit, vincit; ita eadem non raro morbum simul et adversam medendi methodum superat atque nihilominus suas quandoque crises perfecit. Hoc si ita contingit, solent medici victoriam suae curationi attribuere, quam ipsi naturae debent. Ita medici nonnulli, quoniam aliquos suos pleuriticos post medicamentum vomitorium evenisse videbant, pleuritidis curationem ab emetico incipiendam esse statuunt: fortassis Hippocratis sententia, quam male acceperunt, ita persuasi *a*). Quodsi autem sáburra in ventriculo non resideat, vomere nil iuvat; sed contra potest vomitus quassando pectus inflammationem exacerbare, sicque morbum peiorem efficere. Debet igitur medicus ante nosse an purgatione opus sit, ut per vomitum pleuritis curationi aptior reddi queat.

Contra alii, qui moliendo sputa pleuritidis curationem ordiri atque perficere malunt, dolores supra septum transversum, qui purgatione opus habent, sursum quidem versus pur-

 ga-

---

a) » Dolores supra septum transversum, qui purgatione opus » habent, sursum versus purgatione indigere significant, » qui vero infra, deorsum ». Hipp. lib. Aphor. Sect. IV. aphor. 18.

gatione indigere concedunt; non autem ad id vomitorio medicamento utendum esse, sed his quae in isto morbo sputa expellant; sicque pulmonem sursum versus purgent. Hic enim purgare idem esse ac liberare ab his quae contra naturam in pectore sunt. Ita etiam puris evacuationem saepe purgationis nomen accepisse.

Rursum alii pleuriticis medicamenta alvum vacuantia dare eademque curationi aliquoties interponere volunt, per quae vitiatus humor subtrahatur. Et isti quoque suos imitatores habent. Verum etiam hi a recto absunt: nisi enim saburra in imo ventre recumbat, quae caeteras crises intus retinere possit, purgatio per alvum nocet. Ipsa enim sputum, si quod coctum futurum esset, cohibet; et sudorem, qui morbum iudicaturus esset, retrahit; sicque salutare naturae conamen pessumdat *a*).

Verum hi quod falsi fuerint specie recti, satis per decursum istius libri a me demonstratum est.

Interea quique, etsi sibi ipsis repugnantes ad sua experimenta refugiunt; singuli suas clamant observationes: quisque idem, quod cernit, diversum ab aliis habet; suum quisque certum putat, vultuque. Veluti qui ipsum eundemque politum ex variegato iuglantis ligno asserem conspiciunt, alter in eo vespertilio-

a) » A pleuritide aut peripneumonia occupato alvi profluvium » accedens, malum ». Aphor. 16. Sect. IV. Scomphus in » Oeniadis pleuritide correptus, mortuus est septimo die. » Pharmacum autem bibit infra purgans ». Hipp. de Morb. popul. Lib. V.

lionis imaginem, alter fauni faciem, alter hedi caput, fluvium sub ponte alter videre sibi persuadet: postremo diversus item alter nihil horum, sed ductos contra diductosque sine ordine atque confusos tractus cernit. Similis illusio in diversa multorum morborum contemplatione suos fautores medicos decepit. Ob quem fucum tot falsae, diversae, atque a vero prorsus alienae morborum imagines a scriptoribus delineatae sunt, quae ancipites efficere practicos medicos possent, tirones vero in devia flectere.

Equidem ad ipsam curandi rationem nihil plus confert, quam experientia: ad ipsam vero experientiam nihil rectius ducit quam observatio. Verum recte observare quod opus quis labor sit, profecto pauci cognoscunt. Non enim satis est, etiam omnia quae intra morbos videmus, notare; sed ad ea potissimum animum attendere opus est, qualia scire refert; utpote quae ipsum morbi genium exprimunt atque intimam eiusdem et suam ipsius propriam indolem explicant palamque ostendunt: caeterea, tanquam aliena, multis communia, numero, non re, ponderosa, proprius ut obfuscantia rescindi, et veluti tenebricosa procul inde reiici debet „. Ille assideat necesse est, qui, quod solum opus, est visurus est *a*).

In qua quidem contemplationis parte Hippocrates, qui multa paucis verbis complexus est, omnes antecessit; et quem in tanta medicorum turba vix aliqui recte secuti sunt. Non enim

a) A. C. Celsus Lib. III. Cap. 4.

enim satis est, praecepta didicisse quibus instructus observator esse debeat; aut normam mente retinuisse, secundum quam dirigi observatio recte queat; sed nosse plurimum interest, quo morbi tempore tali aliqua regula uti opus sit; et quam harum praecipue tunc adhibere oporteat. Docent equidem hae regulae atque ista praecepta, quomodo id, quod videmus aut videre debemus, notandum sit; ipsam vero oculorum aciem non praestant, per quam id, quod notatu dignum est, videamus; nisi nobis ipsis acute perspiciendi facultatem natura ipsa concesserit. Veluti militum Praefectus, etsi is omnes bellum ducendi regulas mente retinuerit, tamen, nisi eum natura ad acute videndum recteque discernendum aptum finxerit, ipse cum omnium regularum apparatu neque hostem caedet, sed ipse caesus erit.

Ut enim poëta ita observator medicus non fit sed nascitur. Debet uterque acri ingenio praeditus esse, magnam imaginationis vim atque persensibilem percipiendi facultatem habere, ut etiam a minimis, quasi ea trans microscopium magna vidisset, certius afficiatur; velocem mentis perspicaciam, nequa praeceps occasio eum fugiat; severum iudicium, ne quid falsi eundem decipiat; pictoriam insuper dexteritatem habere, ut id, quod recte vidit, perfecta delineatione atque ex integra facie eius imaginem ostendere calleat. Quas animi dotes, si eae ita simul comprehensae sint, non inique spirirum observatorem appellari posse existimo. Rarum profecto naturae donum, quod paucis concessum est!

Ob

Ob quem defectum multi observationum (siquidem ita suam operam nominare amant) scriptores vana, supervacua, ad rem non pertinentia, longa et inania, morbo non propria, sed communia, saepe falsa, non ea quae videre debuissent, sed talia qualia per hypothesium fatuos ignes vidisse existimant, confuso circumstantiarum ordine atque incerto temporum termino per ambages in medium protrahunt; quae prosequi expertum lectorem taedet, perseverare tyronem nil iuvat.

Neque enim satis est, rudi calculo delineasse morbum levique colore eius communia indicasse; sed plurimum interest, privata quaeque eiusdem lineamenta vivido colore consignare atque exprimere, eundemque, veluti pictor a puero adolescentem, ab adolescente virum, a viro senem mutatis lineis atque suis cuique propriis coloribus distinguit, ita morbum per diversa sua stadia diversis verborum gradibus significare. Verum eheu! nimirum omnes similiter Pictores se esse existimant.



INDEX CAPITUM.

CA-

CAPUT VII.

CAPUT VIII.